


Disputatio Theologica,  
<sup>DE</sup>  
**THEOLOGIA**  
& RELIGIONE,

QUAM

Favente Divina Gratia,  
In Alma Viadrina

PRÆSIDE

DN. BARTHOLDO  **Wolfffuß**

*SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. Ord.*

Præceptore ac Fautore suo ætatem colendo,

IN AUDITORIO MAJORI,

D. XXX. Aprilis, A. O. R. M DCCIII.

Placidè ventilandam proponit

**STEPHANUS KRIZBAI,**


Transylvanus Hungarus.

Coll. diss. A  
181, 9

*Francofurti ad Viadrum*

Typis imprimebat Johannes Cœpselius, Acad. Typogr.

574. A. 181 (9)





DE THEOLOGIA  
& RERUM SACRARUM

PRÆLECTIO  
IN ALMA MATEMATICA  
SACRAE THEOLOGIAE

DR. P. ARTHUR HOLLDO

1727



IN AUDITORIUM MAJOREM  
D. XXX. MDCCLXX.

JOHANNES KRIBBA

1727

1727





§. I.



# Vocabulum Theologiae, Origine Graecum, compositum à θεός & λόγος, non tantum usurpatum est ab Auctoribus Gentilibus, praesertim Graecis, qui teste Lactantio, *Libr. de Ira. c. 11.* Arist. *Metaph. 3.* Ciceron. *Lib. 3. de Nat. Deor. c. 21.* Clem. Alexandr. *Stromat. 5.* & *Admon. ad Gentes p. m. 40.* Isidor. *l. 5.* Scriptores de Diis horumque cultu agentes, Theologos, & horum Scientiam, Theologiam, vocarunt; sed extat quoque, in concreto, in Sacra Scriptura, in Inscriptione Apocalypseos, ubi S. Johannes, Theologus appellatur. Notat ratione Objecti, sermonem de Deo: Nam quemadmodum *Θεολογία* significat Sermonem, s. Doctrinam de Ente, *Πνευμαθολογία* Doctrinam de Spiritibus, *Physiologia* vel *Somatologia* Doctrinam de rebus naturalibus ac de corporibus, *Astrologia* Doctrinam de Astris; Ita Theologia significantissime notat Sermonem s. Doctrinam de Deo: ratione vero Efficientis Sermonem Dei quoque significare potest,

quia

A 2

quia



quia non nisi ex Deo & cum Deo, de Deo & rebus Divinis loquendum est Theologo, docente Petro I. ep. 4, II. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei,* quo pertinet Rom. 3, 2. ubi dicuntur Judæis credita τὰ λόγια τῆ θεῶ Eloquia Dei; Et Hebr. 5, 12. inquit Apostolus. *Vos, quos oportuit pro temporis ratione Doctores esse, rursus opus est doceri, quæ sunt Elementa Initii Eloquiorum Dei.* Vox hæc, Theologia, rem ipsam exprimit aptissime: nam Theologia *originaliter* à Deo est, *objectivè* de Deo & rebus Divinis agit, *terminativè* in Deum fertur, & *effectivè* homines ad Deum ducit & Divinæ Naturæ participes reddit.

## §. II.

Theologiæ Synonyma sunt vel Hebraica, vel Græca, vel Latina. Hebraica (præter שמעאלו גיאתה) sunt חכמת האלהות & חכמה האלהית i. e. Sapiencia Divina, תורה Scientia Legalis תורה האלהית Lex vel Doctrina divina, תלמוד תורה Doctrina vel studium Legis; quia Judæi solam Legem pro Principio Theologiæ habent. Græca (præter vocem Theologiæ) & quidem ex ipsa Script. Sacra petita, sunt: διδασκαλία θεῶ vel χριστῶ Joh. 7, 17. γινῶσις τῆς σωτηρίας cognitio Salutis. Luc. 1, 77. ἐκθεσις τῆς τῆ θεῶ ὁδῶ Expositio Viæ Dei, Act. 18, 26. σοφία Sapiencia I. Cor. 2, 6. σοφία τῆ θεῶ, Sapiencia Dei v. 7. λόγῳ σοφίας Sermo Sapiencia I. Cor. 12, 8. σοφία πολυπόικιλος multiformis Sapiencia Eph. 3, 10. ὑποτύπωσις ὑγιανόντων λόγων Forma sanorum Verborum 2 Tim. 1, 13. διδασκαλία κατ' εὐσέβειαν, Doctrina, quæ est secundum pietatem I. Tim. 6, 3. θεοδιδασκαλία Joh. 6, 45. I. Thess. 4, 9. ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν Cognitio Veritatis, quæ est secundum pietatem Tit. 1, 1. θεοσοφία.

Φία.



Φία, θεογνωσία &c. Latina sunt: Cognitio Veritatis & Doctrina vel Scientia de Deo. Theologi Synonyma sunt וְיִשְׁהָא לְהַיְיָ Vir Dei, חֲכָמַיְיָ Sapiens Veritatis, וְיִשְׁהָא לְהַיְיָ Vir legalis. νομοδιδασκαλῶν, ἀνηγὰς θεῶν, Theosophus &c.

## III.

Accipitur nomen Theologiæ i. generalissime pro quavis Doctrina s. Sermone de Deo, in primis apud Gentiles, sive ea Doctrina revera sit vera, sive falsa. 2. generaliter pro Doctrina de Deo qualicunque, è naturæ etiam Lumine petita, Vera tamen. 3. Specialiter pro Doctrina, de Deo & Mysteriis Divinis, in S. Scriptura tradita ac revelata. 4. Specialissime, pro illa Doctrinæ Cœlestis parte, quæ de Divinitate Christi agit, quo sensu Theologiæ Oeconomia, a Patribus, contradistinguitur, quarum illâ, Doctrina de Christi Divinitate, hac, Doctrina de ejusdem Incarnatione intelligitur. Unde S. Joannes ex Evangelistis & Apostolis, Gregorius Nazianzenus ex Patribus, propter Divinitatem Christi assertam, præ reliquis, Theologi appellati fuerunt.

## §. IV.

Porro accipitur Theologia vel improprie vel proprie. Impropie pro Theologia falsa, Diabolorum, vel Hominum, Gentilium, Judæorū, Samaritanorū, Muhammedanorum, Hæreticorum & Schismaticorum. Origo omnis falsæ Theologiæ s. Matæologiæ est Diabolus; A quo hæc Matæologia, Diabolica, appellatur, estque doctrina falsa, doctrinæ divinæ de Deo, Voluntate, Actionibus, rebus & Cultu divinis adversa. Unde Joh. 8, 44. Christus de Diabolo ait, quod sit Pater mendacii; &: Cum

A 3

loqui-



loquitur mendacium, ex propriis loquitur. Et Apostoli hanc Matæologiam. i. Tim. 4, 1. Doctrinam Dæmoniorum; Jac. 3, 15. Sapientiam Dæmoniacam salutant. Ab hac aliæ, falsæ Theologiæ, formæ ortæ sunt. Gentilium s. Ethnica Theologia est, quæ alium quam verum Deum, vel potius multos Deos, Creaturas, Dæmones, Homines, bruta & inanimata fingit, hosq; commentitios Deos, Deasque, sub imaginibus, idolis, Statuis, per Sacrificia aliosq; ritus, secundum Dæmonum Oracula, Auspicum, Haruspicum, Augurum, Extispicum, auspicia, hariolationes & auguria, Magorum Divinationes, Somniorum præfagia & interpretationes &c. colit & adorat; Estque secundum nonnullos vel Sabaismus, Solis & Lunæ aliarumq; Stellarum religiosus Cultus; vel Hellenismus, Dæmonum & Hominum defunctorum *Ἀποθνήσκουσιν* & Veneratio. Vel secundum alios: Chaldæica, Ægyptiaca, Græca & Romana. Græci & Romani in primis tria genera Theologiæ habebant *Μεθυστικόν*, Physicon & Civile. Qua de re ita Varro, & ex eo August. L. 6. de Civitate Dei cap. 5. *Tria sunt genera Theologia, eorumque unum Mythicon appellatur, alterum Physicon, tertium Civile. Mythicon appellant, quo maxime utuntur Poetæ, Physicon quo Philosophi, Civile quo populus. Primum quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem & naturam immortalem ficta; in hoc enim est, tu Deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguineis natus. In hoc ut Dei furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini, denique in hoc omnia Diis attribuuntur, quæ non modo in hominem, sed in contemptissimum hominem cadere* pos-



possunt. Secundum genus est, quod demonstravi, de quo multos libros Philosophi reliquerunt, in quibus est, Dii qui sint, ubi sint, quod genus, quale, ex quoniam tempore, an à sempiterno fuerint, an ex igne sint, ut credit Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras; an ex Atomis ut Epicurus: hic alia, quæ facilius in Schola, quam extra in foro, ferre possunt, aures. Tertium, Civile nempe, genus est, quod in Urbibus Cives, maxime sacerdotes, nosse & administrare debent, in quo est, quos Deos publice colere, quæ Sacra & Sacrificia facere quemquam par sit. Prima Theologia maxime accommodata est ad Theatrum, secunda ad Mundum, tertia ad urbem. Cum itaque Gentilium hæc Theologia non ex verbo Dei, sed partim ex corrupta ratione, partim ex Mythicis Poëtarum fabulis, partim ex gentilium Sacerdotum Sanctionibus conflata sit, nemini Christianorum dubium est, quin Matæologia s. Vaniloquium potius sit, quam Theologia. Judæorum hodierna Theol. hausta est ex Thalmud vel saltem ex Lege secundum Thalmud intellecta, cum potius ex Lege & Prophetis ad mentem Dei intellectis depromi debuisset. Quod vero inde factum fuit, quod duplicem Legem fingunt, alteram שבתא Scriptam, alteram שבעל פה, Oralem, quæ Mose à Deo ore tenus tradita, & à Mose memoriâ conservata fuerit, quamque deinde Moses Josuæ, hic Judicibus, hi Prophetis, hi Synagogæ magnæ tradiderint, donec à Rabbi Jehuda, à Judæis הקדוש Sanctus, vel הנשיא Princeps, vocato, A. Christi 150. sub Antonino, Imperatore in Thalmud collecta fuerit. Thalmud vero duplex est, Hierosolymitanum & Babylonicum: Hierosolymitanum pro Judæis in Palæstina degenti-

bus



bus conscriptum est; Post Hierosolymorum enim & Templi vastationem reliquæ quædam Judæorum in terra Israelis manserunt, ibique Academiæ Jafnæ Zephoræ, Cæsareæ & Tiberiade ad Annum usque Christi 130. constituerunt; ibidemq; R. Jochanan, Caput Synagogæ, ex tribu Joseph, Thalmud illud confecisse putatur. Quia vero pauci Judæi in Palæstina remanserunt, neque hoc Thalmud omnes illorum Constitutiones contineret, minor ejus usus semper fuit. Babylonicum conscriptum est pro Judæis in Babylonia, aliisque terris peregrinis viventibus. Hoc perfectius habetur & hodie tantum in usu est. Hujus partes duæ sunt: Una Mischnah i. e. Textus ipse; Altera Gemarah s. Commentarius, qui vero obscurior nonnunquam est ipso Textu. Samaritana fuit Mixtura ex Gentilium, præsertim Assyriorum, & Judæorum dogmatibus & ritibus, quæ veri simul Dei ac falsorum Deorum cultum in monte Garizim secundum Pentateuchum Samaritanum exercendum præscripsit. Tertia species falsæ Theologiæ est, Muhammedana, quæ mixta est ex Gentilismo, Judaismo & Christianismo, & continetur Alcorano. Quarta est Hæreticorum. Dicitur Hæresis ab αἵρεσις Capiō s. eligo; atque adeo vi vocis significat Electionem Sententiæ ex multis. Est ergo vocabulum μέσον, diciturque de bono & malo instituto. Unde Paulus Act. 24, 14. profitetur se secundum viam, quam dicunt *Hæresin*, colere Deum &c. Conf. Act. 5, 17. c. 15, 5. Et Cap. 26, 5. de Pharisæorum Secta fatetur, quod sit ἀκριβεστέρα ἄρεσις, exquisitissima Hæresis, sensu non malo. Sic Josephus quoque hanc vocem  
de



de Sectis Judæorum usurpat. Et Varinus Phavori-  
 nus ait: Ἰρέσεις ἢ ἀπλῶς βέλησις vel δόξα πλειόνων  
 ἀνθρώπων πρὸς ἀλλήλους μὲν συμφωνήτων, πρὸς ἄλλους  
 δὲ διαφωνήτων. Ubi eandem vocem Sectis Philosopho-  
 rum Veterum applicari docet, novemq; earum recep-  
 set. Eodem sensu Diogenes Laertius in Præfat. ad Vit.  
 Philos. Ἔτι δὲ πρὸ ὀλίγου καὶ Ἐκλεκτικὴ τις Ἰρέσις εἰ-  
 σήχθη ὑπὸ Ποτάμωνος τῷ Ἀλεξανδρέως, ἐκλεξαμένης  
 τὰ ἀρεστονῆα ἐξ ἑκάστης τῶν Ἰρέσεων i. e. *Præterea ve-  
 ro nuper etiam Electica Secta est introducta à Pota-  
 mone Alexandrino, qui ea, quæ placerent, ex una-  
 quaque secta elegit.* Et Clemens Alexandr. Strom.  
 lib. 1. p. m. 288. φιλοσοφίαν λέγω ἢ τὴν Στωικὴν, ἢ δὲ  
 τὴν Πλατωνικὴν, ἢ τὴν Ἐπικυρήσιον τε καὶ Ἀριστοτελικὴν, ἀλλ'  
 ὅσα εἴρηται παρ' ἑκάστη τῶν Ἰρέσεων τῶν καλῶς δικαι-  
 οσύνην μετὰ εὐσεβῆς ἐπισήμης ἐκδιδάσκοντα, τὸ πᾶν  
 τὸ ἐκλεκτικὸν φιλοσοφίαν φημί. i. e. *Philosophiam non  
 dico Stoicam, nec Platoniam aut Epicuream, aut  
 Aristotelicam, sed quæcumque ab his Sectis s. He-  
 resibus recte dicta sunt, quæ docet Justitiam cum piâ  
 Scientia; hoc totum selectum dico Philosophiam.*  
 Ita Cicero ipse in Præfat. ad Paradoxa: *Cato per-  
 fectus, mea Sententia, Stoicus, & ea sentit, quæ sa-  
 ne non probantur in Vulgus, & in ea Heresi est, quæ  
 nullum sequitur florem Orationis, neque dilatat Ar-  
 gumentum &c.* Verum à media Significatio-  
 ne hæc vox, ut aliæ, ad infamem usum declinavit,  
 In ipsis quoque Sacris Literis, Gal. 5, 20. 2. Pet. 2, 1.  
 Tit. 3, 10. procul dubio propter varias hujusmodi  
 hominum contentiones in malam partem sumitur,  
 atque ita hodie vulgo usurpatur. Quamvis vero



difficile credat Augustinus Hæresin definire, in Præf. Lib. de Hæres. ubi ait: *Quid faciat Hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillime potest.* Nobis tamen hic, aliud agentibus, sufficit vulgaris Definitio, qua dicitur esse, Error contra fundamentum fidei pertinaciter defensus. Ejusmodi Hæretici in veteri Ecclesia non solum fuerunt Simoniani, Nicolaitæ, Gnostici, Basilidiani, Menandriani, Carpocratiani, Saturniniani, Valentiniani, Manichæi; sed & Ariani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, ac Pelagiani &c. Hodie diversi diversos, pro vario affectu, Hæreticos declarant. Romana Ecclesia omnes eos in Hæreticorum numerum refert, qui placitis Ecclesiæ Rom. non acquiescunt. Nos solummodo observamus, Modernorum quosdam in excessu, addendo; quosdam verò in defectu, demendo, peccare. Schismatica Theologia Charitatem, Christianis debitam, violat & Unitatis vinculum rumpit.

## §. V.

Vera Theologia est *Archetypa* vel *Ectypa*. *Archetypa*, s. Prototypa & Exemplaris est, qua Deus se ipsum in seipso, omniaque extra se per se ipsum uno indivisibili actu cognoscit, & cognoscendo seipsum, in se ipso acquiescit. 1. Joh. 12, 13. 1. Sam. 2, 3. Matth. 11, 27. Joh. 1, 18. 1. Cor. 2, 10. 11. Hæc est Naturæ divinæ essentialis, independens, æterna, increata, infinita, immutabilis, absoluta & perfectissima ac proinde à nobis non pervestigari, sed adorari debet. Rom. 11, 33. 34. Sir. 43, 33. 34.



35. 36. 37. Job. 28, 12. seqq. In hac Deus est ἐπισήτορις, ἐπισήμων & ἐπισήμη i. e. Objectum Cognitum, Subjectum Cognoscens & ipsa Scientia s. Cognitio, Theologus & Theologia. *Ectypa* (Archetypæ illius ἀπορροή, ἀπαύγασμα & quasi ἀποσπασμάδιον gutta. refulgentia & particula) minus accuratè in ordine ad Deum ita dicitur, quasi ad Dei Theologiam, Cognitionem ac ideam, quam Deus de se ipso habet, expressa sit, sed accuratius ita dicitur respectu Sacrae Scripturae vel Voluntatis Divinae in Scriptura revelatae, ad quam Theologia Ectypa velut ad exemplar expressa est. Ectypa Theologia creata, finita, habitualis & communicata est.

## §. VI.

Distribuitur Ectypa variè pro diversitate Subjectorum. Est enim vel *Christi* Θεανθρώπου & Mediatoris nostri, quæ & Unionis; vel *Angelorum*, quæ & Visionis; Vel *Hominum*, quæ & Revelationis Theologia dicitur. Theologia *Unionis* s. *Mediatoris Christi* est plenissima ac perfectissima, finita tamen, rerum Divinarum Sapiencia, per spiritum Dei sine mensura, cum Christo Θεανθρώπω divinitus communicata, ad Hominum salvandorum illuminationem. Vel: Est habitus, intellectualis luminis, permanens & perfectus Christi Θεανθρώπου, à plenitudine Theologiae Archetypæ derivatus. Joh. 1, 9. *Erat Lux Vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* c. 3, 34. *Quem misit Deus, Verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Col. 2, 3. *In eo sunt omnes Thesauri sapientiae & scientia absconditi; juxta Vaticinia* Ps. 45,



8. coll. cum Ebr. 1, 8. 9. Jes. 11. 1. 2. c. 61, 1. 2. coll. cum Luc. 4, 18. Inerat quidem & inest Christo secundum Divinam Naturam ipsa Archetypa Theologia, communis ipsi cum Patre & Spiritu S. hanc vero à Patre accepit propter nos. Cum enim Theologia Divinitatis sit fons inaccessus & abyssus magna; Theologiam certe humanitatis, quam assumpsit Deus, subministrari oportuit, velut rivum abundantissimum, sed rebus creatis commodum, unde hauriremus omnes, quemadmodum aquam à fonte inaccesso manantem, de castello aut lacu hauriendam præbent sitientibus aquileges, ut loquitur Franc. Junius de Theologia Vera c. 6. p. m. 50. Hoc respectu Christus inter alia λόγος, Sapientia, Sermo, Interpretes, Orator Patris ad nos dicitur Joh. 1, 1. eoque pertinet Joh. 1, 18. *Deum nemo vidit unquam; Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Hebr. 1, 1. *Multifariam multisque modis olim Deus locutus est Patribus per Prophetas: novissimè diebus his locutus est nobis per Filium.* Quo sensu & Propheta vocatur, à nobis audiendus Deut. 18, 15. 16. Act. 3, 22. Matth. 17, 5. Archetypa, est increata, hæc creata; illa infinita, hæc finita, ita, ut majora indies incrementa sumserit Luc. 2, 52. Illa Essentialis, hæc habitualis. *Angelorum Theologia est vel Concreata, quæ Angelis statim in & cum Creatione concessa est, quam Angeli mali sua defectione amiserunt: Vel Adventitia, eaque vel Intuitiva s. Visionis, quam in præmium Obedientiæ Deo præstitæ, per confirmationem in bono adepti sunt; & de qua agitur Matth. 18, 10. Vel Acquisita & Experimentalis, quæ*  
partim



partim revelatione illis innotescit Eph. 3, 10. partim per ratiocinationem & discursum perficitur. Experimentalis & Acquisita nec ipsis Diabolis neganda est: Nam *credunt, sed contremiscunt.* Jac. 2, 19. Confitentur Filium Dei Matth. 8. 29. Marc. 5, 7. §. VII.

*Hominum* Theologia est vel *Beatorum* vel *Viatorum*. Ultramque Christus in persona sua sanctificavit; Hanc, in terris, in Statu Exinanitionis: Illam in cœlis, in statu Exaltationis. *Beatorum* Theologia, quæ & *Comprehenforum, Patria, Visionis* ac *Excelsa* vocatur, est habitus intellectualis luminis permanens & suo modo perfectus, per modum infusi habitus cum Beatis in cœlo de Christi plenitudine communicatus, quo lumine cœlestes illæ Creaturæ vident Creatorem & Redemptorem suum sicuti est, Visione gratiosâ, gloriosâ & æternâ ad Gloriam Dei. Joh. 17, 24. 1. Joh. 3, 2. 1. Cor. 13, 12. Hebr. 12, 22. 23. 2. Cor. 4, 16. Qui habitus tamen neque permanet neq; perfectus est à se ipso, sed principium ortus sui & Conservationem suam habet à Christo Salvatore. Conf. Jun. de Theologia c. 7. *Viatorum* Theologia, quæ & *Via, Stadii* atque *Humilis* dicitur, ita appellatur ex 1. Cor. 9, 24. *Nescitis quod ii quæ in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis.* & 2. Cor. 5, 6. 8. *Scimus quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Quia in hac Vita locum habet, ubi hominibus ceu Viatoribus indefinenter ambulandum, imo currendum i. e. maximo studio laborandum ac properandum est, ut metam Patriæ



coelestis propositam consequantur. Est, secundum diversos hominis status, varia. In *Statu Instituto* s. Innocentiæ obtinebat Theologia *Primigenia* s. *Originalis*, quæ & *Paradisiaca*, à Loco in quo collocati erant *Protoplasti*, à nonnullis dicitur, eratque vel *Concreata* adeoque habitualis Dei agnitio, per *Creationem*, qua ad Dei imaginem conditi erant, primis Parentibus indita. Col. 3, 10. Cujus ope, & Principiorum inditorum cum rebus & signis comparatione potuerunt vi ratiocinationis componere, dividere, concludere atq; sic in natura integra progrediendo Theologiam Primigeniam ad apicem perducere. Vide Franc. Jun. de Theol. Vera Cap. 10. th. 17. p. m. 75. & Alsted. Præcognit. Theol. L. 1. p. 129. f. 130. vel *Revelata*, quam Deus Protoplastis Per Verbum externum, distinctis vicibus, patefecit. In *Statu destituto* s. post *Lapsum* Theologia Hominum Viatorum est vel *Naturalis* vel *Supernaturalis*. Naturalis est, quæ naturali Intellectus humani lumine, interveniente initiali Dei Gratia, ex notionibus cujuslibet cordi inscriptis & attenta contemplatione hujus Universi hauritur. Alstedius Præcogn. Theol. L. 1. p. 131. ita definit: *Theologia naturalis in natura corrupta est Sapiencia rerum divinarum, qua homo assequitur quidem Deum esse & Deum colendum esse, sed modum cognitionis & cultus non percipit, vitiositate sua.* Dividitur in *Innitam* & *Acquisitam*, Græcè ἐπίκτητον. *Innita* est habitus κοινῶν ἐννοιῶν, communium notionum s. primorum Principiorum de Deo, Intellectui per naturam ante Intellectus operationem inscriptus, cumque aptum reddens ad Deum actu cognoscendum, quat. natu-  
râ



rà cognosci potest. *Acquisita* est habitus aliqualis  
 Cognitionis Dei ex attenta rerum conditarum Con-  
 sideratione, ope ratiocinationis comparatus. U-  
 tramque negat Faustus Socinus cum sequacibus Præ-  
 lect. Theol. c. 2. p. m. 3. seqq. Nos utramque pro-  
 bamus, & illam quidem ex Lege naturali cordibus  
 hominum insculpta Rom. 2, 14. 15. Hanc verò ex  
 Notitia Dei acquisita ex Ps. 19, 1 seq. Iob. 12, 7, 8. 9.  
 Rom. 1, 19. 20. Act. 14, 15. 16. 17. C. 17, 23. Utramque  
 ab Experientia & Consensu populorum universali,  
 quorum aliqui maluerunt res vilissimas pro Numi-  
 ne habere, quam Deum simpliciter negare. *Causa*  
*Efficiens* Theologiæ naturalis est Deus Rom. 1, 19.  
*Deus illis manifestavit.* *Media* est Intellectus lu-  
 men naturale vel facultas, quæ Notionibus commu-  
 nibus de Numine quodam imbuta & Contem-  
 platione hujus Universi excitata, circa Deum & in-  
 visibilia ut *Objectum* suum occupatur Rom. 1, 19. 20.  
 Act. 17, 27. *Materia* ex qua sunt Principia & Con-  
 clusiones, de rebus Divinis naturaliter nota, qualia  
 sunt vel theoretica v. gr. Deum esse, vel Practica  
 v. gr. Deum esse amandum, & Deum esse, pura-  
 mente, colendum. *Subjectum* Quod est Homo:  
 Subjectum Quo est Anima Hominis, in specie In-  
 tellectus. *Forma* est Veritas divina ex lumine na-  
 turæ de Agnitione & Cultu Divino patefacta. *Fi-*  
*nis* est, ut sit χειραγωγία s. manuuctio ac Præpa-  
 ratio ad Theologiam supernaturalem. Ut enim se  
 habet luna ad solem: Sic se habet lumen Naturæ  
 ad lumen Gratia 2. Movere Affectum nostrum ad  
 Deum amandum & colendum. Finis per Acci-  
 dens



dens s. Eventus ex abusu Luminis naturalis proveniens, est Hominum, luce hoc donatorum, Inexcusabilitas. Quod Apostolus emphaticè docet Rom. 1, 20. 21. seqq. Adjuncta sunt 1. Necessitas 2. Veritas. 3. Unitas. 4. Utilitas 5. Imperfectio. Conf. Alsted. Præcogn. Theol. Cap. 13. 14. p. 109. 110. 111. 112.

## §. VIII.

Quia Naturalis Theologia non potuit hominem perducere ad Finem supernaturalem, accedere oportuit Theologiam Supernaturalem. Theologia Supernaturalis, ex lumine Gratia oriunda, est vel *immediata Inspirationis* s. Θεοπνοῆς; vel *mediata Revelationis*. Illa per Spiritus S. immediatam Actionem & affiatum Viris Θεοπνεύστis Mosi, Prophetis, Evangelistis & Apostolis contigit. Hæc ex Verbo Dei scripto petitur & in Ecclesia ac Scholis docetur. Hanc Theologiam Supernaturalem ac Revelatam dari probat. (1) Dei, in Verbo suo loquentis, Existentia. Si enim Deus est, isque in Verbo suo se patefecit ac loquitur, negari non potest, dari Theologiam. (2.) Testimonia Scripturæ diserta, è quorum numero sunt, Deut. 4. 6. *Hæc est Sapientia vestra ante oculos populorum, qui audientes omnia statuta ista, dicent: tantum gens ista maxima populus sapiens & prudens est.* Pl. 103, 7. *Notas fecit Mosi vias suas, posteris Israelis actiones suas.* Act. 14, 15. 16. 17. *Barnabas & Paulus Dixerunt, Viri, Cur ista facitis? Nos quoq; sumus homines, iisdem quibus vos, affectionibus obnoxii, annunciantes, ut à vanis istis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum, qui fecit cælum* &



& terram, & mare & omnia que sunt in eis. Qui-  
 que preteritis etatibus sicut omnes gentes suis ipsarum  
 viis incedere, quanquam non passus est se esse exper-  
 tem testimonii, bona tribuendo, dans nobis cœlitus  
 pluvias ac tempora fructibus edendis apta, implens ci-  
 bo & lætitia corda nostra. Rom. 1, 19. 20. Quoni-  
 am id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in  
 ipsis: Deus enim eis manifestavit. Invisibilia enim  
 ipsius, à creatura mundi, per ea que facta sunt, in-  
 tellecta conspiciuntur &c. Repetantur etiam Syno-  
 nyma Theologiæ quæ attulimus §. 2. p. 4. (3) probat  
 Existentiã Theologiæ Dei Natura & Bonitas, qua  
 factum est, ut Deus ex arcana illa Majestatis suæ  
 sede q̄s. egrediens se cum creaturis rationalibus  
 communicaverit & communicet, ad eosque, ex in-  
 exhausto Sapientiæ suæ Thesauro vel Oceano, strictu-  
 ras aliquot derivet. (4) Finis hominum Creationis.  
 Nam eum in finem Deus creaturas rationales pro-  
 duxit, ut ab illis agnosceretur, coleretur & æter-  
 num celebraretur Joh. 3. 17. Quo dato, datur The-  
 ologia. (5) Desiderium Salutis omnibus hominibus  
 innatum, quod sane non frustra nec in tormentum  
 Deus hominibus indidisse putandus est, Es. 45, 19.  
 Media ergo, & inter alia Theologiam, ordinavit,  
 quibus homines desiderium illud satiare possent. (6)  
 Rei Natura, quia, ubi datur Objectum cognoscibile,  
 quod h. l. est Deus, & Subjectum Cognoscens, Cre-  
 atura rationalis, ibi Scientiam aliquam dari oportet,  
 quæ circa objectum illud versetur. Datur verò De-  
 us cognoscibilis & Subjectum Cognoscitivum i. e.  
 Creatura rationalis; Negari ergo non potest dari

C

Theolo-



Theologiam. (7) Universalis omnium populorum consensus probat dari Theologiam. Nulla enim tam fera gens facile reperitur, quæ non & Numen aliquod crediderit, & suos Mystas atque hierophantas habuerit adeoque Theologiam aliquam agnoverit olim & hodie agnoscat. Conf. Turretin Inst. Theol. Elencht. Part. 1. Loc. 1. Qu. 2. p. m. 3. 4.

## §. IX.

*Essentiam* Theologiæ exprimit *Definitio* sequens: Theologia est habitus Theoretico-Practicus è Verbo Dei de Deo rebusque divinis haustus, ut homo per media à Deo ordinata salutem æternam consequatur. Dicimus esse Habitum, quia Theologiam hic non consideramus Systematicè, quomodo considerant ii, qui Theologiæ Genus ponunt, Doctrinam: Nam accidentale est Theologiæ, doceri; sed nos Theologiam habitualiter accipimus, quatenus est habitus animi ab hominibus perceptus, quique hominum mentibus inhæret. Est vero habitus non ἐμφυλῶς vel *innatus*, qui ex ipsa generatione nobis connascitur; qualis est θεογνωσία s. Notitia Dei naturalis, Lex Naturæ & Habitus primorum Principiorum; nec, stricte loquendo, ἐπίκτητῶς vel *Acquisitus*, qui ex Principiis propriis, labore proprio, adeoque per vires naturæ, & studium s. industriam nostram comparatur; Ad cuiusmodi Habitum comparandum hæc tria: φύσις *Natura*, μάθησις *Disciplina*, ἀσκησις *Exercitatio*, necessariò requiruntur, quarum illa inchoat; ista provehit ac dirigit; hæc perficit & consummat: Nam, Plutarcho docente de Pueror. Instit. Cap. 3. ἡ μὲν φύσις ἀνευμα-



μαθήσεως τυφλόν. ἡ δὲ μαθήσις δίχα Φύσεως, ἔλλι-  
 πής, ἡ δὲ ἀσκησις χωρὶς ἀμφοῖν ἀτέλης. i. e. *Natura sine*  
*Institutione cæca, institutio sine Natura deficiens, Exer-*  
*citatio vero sine utraque imperfecta est.* Nec sim-  
 pliciter sine omni opera nostra *Infusus* habitus est,  
 qualis erat donum miraculorum & linguarum in A-  
 postolis Marc. 16, 17, 18. Act. 2, 4. seqq. 1. Cor. 12, 4.  
 5. seqq. Sed est habitus, ex Revelatione, adeoque  
 Scriptura Divina, interveniente Gratiâ Dei assi-  
 stente, per ardentis preces ac S. Scripturæ lectio-  
 nem & Meditationem assiduam, à Deo donatus &  
 haustus; quocirca etiam, laxiori ac Theologico sen-  
 su, *Acquisitus*, dici potest. Dicimus porro, Theo-  
 logiam esse habitum *Theoretico-Practicum*. Dis-  
 sentiunt hic Theologi non modo Pontificii & Scho-  
 lastici, sed & Evangelici. Illorum nonnulli Theo-  
 logiam nec Theoreticam nec Practicam esse vo-  
 lunt, sed *Affectivam*, eoque altioris ordinis, quia  
 Finis Theologiæ sit, excitare Affectum Amoris er-  
 ga Deum: quæ opinio tribuitur Gersoni, Cancel-  
 lario quondam Parisiensi, Ægidio Romano, &  
 Thomæ Argentinensi. Nonnulli Theologiam me-  
 re Theoreticam s. Speculativam statuerunt, quales  
 fuerunt Marsilius, & Henricus Gandavensis in Sum-  
 ma Artic. 8. q. 3. Durandus in Proleg. sent. qu. 6.  
 Joh. Rada Controv. 3. Contra ea Scotus & Scotistæ  
 Theologiam purè practicam esse tradunt, cum  
 quibus faciunt, ex Reformatis, Lud. Crocius, Mar-  
 cus Fridericus Wendelinus, Amesius, Joh. Coc-  
 cejus, Burmannus, &c. pleriq; omnes Lutherani, Re-  
 monstrantes, Sociniani, Mennonitæ. Alii mixtam



i .e. Speculativam & Practicam faciunt, quorum quidam, magis Speculativam, ut Thomistæ; & in eis ipse Thomas, Hervæus, Capreolus, Cajetanus; quidam magis Practicam esse docent, ut Bonaventura, Richardus, Thomas Argentineasis. Horum sententiam probant Reformati quidam Doctores, Polanus Synt. Theol. l. 1. c. 13. p. m. 35. Junius de Theol. Vera Cap. 2. p. m. 25. 27. 38. Alstedius Præcogn. Theol. Lib. 1. C. 5. p. 20. f. 21. Leidenses, Synops. Pur. Theol. Disp. 1. §. 22. Walæus Loc. Comm. C. 1. Operum Tom. 1. p. 114. Maresius Syst. Theol. Loc. 1. §. 12. p. m. 3. Turretin Instit. Theol. Elencht. Loc. 1. Qu. 7. §. 2. 6. p. m. 22. 23. 24. Ryssenius Compend. Theol. Loc. 1. §. 4. p. m. 1. Braunius Doctrin. Fœd. Vol. 1. c. 1. §. 14. & nostri, piæ memoriæ, Antecessores B. D. Elias Grebenitz & B. D. Joh. Simonis in Dispp. de Theologia. Quam & Nos nostram facimus, ita tamen, ut Theol. Habitum potius Practicum quam Theoreticum statuamus. Nam Christus Joh. 17, 3. notanter inquit: *Hæc est Vita æterna ut cognoscant Te solum Verum Deum & quem misisti Jesum Christum.* Et negari non potest, occurrere quoq; multa in Theol. quæ cognoscenda tantum sunt, & circa quæ nos nihil operari possumus, v. gr. de Deo ejusque Essentia, de Attributis, de Decretis Dei, de Creatione, Angelorum & Hominum, de Providentia, Lapsum Angelorum & Hominum, Prædestinatione &c. Æquè verò clarum est, in Theologicis Praxin magis quam Theoriam spectari. Quod (1) manifesta Scripturæ dicta innuunt; 1. Tim. 1, 5. *Finis Præcepti est charitas ex corde puro, & conscientia bona & fide non ficta*

ficta



fiſta. 1. Cor. 13, 2. Si novero Myſteria omnia & omnem Scientiam &c. Charitatem autem non habuero, nihil ſum. (2) Probat idem Theol. Finis practicus, per modum gratuiti præmii obtinendus, Marc. 16, 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Joh. 20, 31. Hæc ſcripta ſunt ut credatis Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei, & ut credentes Vitam habeatis in nomine ejus. Pf. 25, 10. Univerſe Via Domini miſericordia & Veritas, cuſtodientibus fœdus ejus & testimonia ejus. Pf. 103, 13. 17. 18. Prov. 8, 32. ſeqq. Nunc ergo, Filii, audite me; beati qui cuſtodiuunt Vias meas. Apoc. 22, 14. Beati, qui præſtant ejus præcepta, ut ſit eis jus in arborem Vita, & per portas ingrediantur in Civitatem. (3) Media practica quoq; hoc confirmant, quæ ad finem illum conſequendum ordinata ſunt, qualia ſunt ex parte Dei, Verbum Luc. 11, 28. Beati, qui audiunt Verbum Dei & cuſtodiuunt illud. Jac. 1, 22. ſeqq. Eſtote factores Verbi & non auditores tantum fallentes Voſmetipſos &c. Et Sacramenta; Baptiſmus, qui Religioni Chriſtianæ initiandos ad Praxin & Vitam Spiritualem obſtringit Rom. 6, 3. ſeqq. Gal. 3, 47. Tit. 3, 5. 6. Et S. Cœna, quæ fœderatos ad obſervationem Fœderis Gratia obligat Luc. 22, 20. 1. Cor. 11, 26. 27. 28. 29. A parte hominum, Fides per Charitatem efficax Gal. 5, 6. quæ comites habet Fructus Spiritus, ibid. v. 22. 23. Sanctimoniam Hebr. 12, 14. Obedientiam Joh. 13, 17. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. it. Joh. 15, 14. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio Vobis. Matth. 7, 21. 22. 23. 24. ſeqq. (4) Evincit id quoque Objectum Theologia,



logiæ; Sive enim Objectum constituas Religionem; illa est ratio colendi Deum fide in Christum & Charitate in Deum & proximum; sive Objectum hoc facias Sacram Scripturam, ea non tantum credenda sed & agenda & speranda continet, nec credenda tantum cognoscenda, sed pleraque etiam ad praxin reducenda tradit; sive Deum ut primarium Theologiæ Objectum consideres, hic non tantum cognoscendus, sed & amore super omnia, colendus est. Tandem (5) *Subiectum*, quod hoc loco est homo, non modo cognitione Dei imbuendus, sed & Deo subijciendus, Divinæ Voluntati conformandus, ac sic ad Salutem æternam perducendus. Quæ omnia Theologiam Habitum magis Practicum quam Theoreticum esse demonstrant. Hinc Justinus Martyr Parænes. ad Græc. ἄλλ' ἐν ἔργοις τὰ τῆς ἡμετέρας Θεοσεβείας πράγματα. *Res Religionis nostræ non in verbis, sed in factis consistunt.* Basiliius: τί ἐστὶ χριστιανισμὸς; Θεὸς ὁμοίωσις κατὰ τὸ ἐνδεχόμενον ἀνθρώπου φύσει. *Quid est Christianismus? Similitudo Dei; quantum Natura humana permittit.* Augustinus: *Summa Religionis est, imitari eum quem colis.* Franciscus: *Tantum scis quantum operaris.* Vide inter alios Lud. Crocium Syntag. Theol. L. I. c. I. p. 64. seqq. Joh. Coccejum Summæ Theol. c. I. §. 8. p. 3. 4.

## §. X.

Auctor Theologiæ hujus est Deus, Pater, Filius & Spiritus S. Pater Ps. 36, 10. *Apud Te est fons Vitæ & in Lumine tuo videbimus Lumen.* Matth. 16, 17. *Caro & Sanguis non revelavit Tibi hoc, sed Pater meus qui est in Cælis.* adde Jac. 1, 5. 17. 1. Tim. 6, 16. Eph.



Eph. 3. 2. 3. 10. Filius Joh. 1, 18. Deum nemo vidit unquam, Unigenitus Filius Dei, qui est in sinu Patris, ipse enarravit, qui ibid. v. 1. appositè λόγος & v. 9. Lux vera dicitur, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Matth. 11, 17. Joh. 8, 12. Joh. 3, 34. Heb. 1, 1. Vid. hic retro §. 6. Spiritus S. Joh. 16, 13. Cum venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem Veritatem & c. 1. Cor. 2, 11. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est, & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. 1. Cor. 12, 3. seqq. Cum enim Deus sit Lux, in qua tenebræ non sunt 1. Joh. 1, 5. & quidem Lux inaccessa 1. Tim. 6, 16. in Creaturis Lux hæc aliunde accendi non potest, nisi ab eo, qui ipse αὐτοφῶς est, Stylo Patrum. Sane si res ulla est, quæ Deum Auctorem requirat, ea est Theologia, quam homines non à terra, sed à Cœlo, non à Natura, sed à Gratia habere possunt. Quis enim profundissima Dei Mysteria; Quis Spiritualia, revelasset, nisi Spiritus Dei? Quis rem omnium summam, & quæ Dignitate sua naturam Universi superat, exposuisset, nisi Naturæ Auctor? Quis rem perfectissimam, Cœlestem Sapientiam, docuisset, nisi Cœlestis, isque perfectissimus, Doctor? Quemadmodum Theologiæ finis supernaturalis est, ita quoque media ad finem illum ducentia non nisi supernaturalia esse possunt, nec nisi à Deo constitui & revelari potuerunt. Modum Communicationis, quem Deus in Revelatione Theologiæ adhibet, quod spectat, olim ille fiebat vel clara voce, vel per Angelos, vel in Visione, vel per somnium, vel in Ænigmatibus,

nigmatibus,



nigmate, per Symbola & imagines; vel *θεοπνευσία*, interiore afflatu, ad scribendum, de quo agunt loca 2. Tim. 3, 16. & 2. Pet. 1, 21. Hodie ordinariè fit per illuminationem intellectus & Sanctificationem Voluntatis. *Causa προηγμένη* s. *intrinsece movens* est ineffabilis Dei Bonitas, qua se ut Summum Bonum maxime communicativum cum hominibus communicare, ex sublimi atque abstrusa Majestatis suæ abyssu prodire, & in eos aliquot Sapientia suæ stricturas diffundere voluit. *Causa προκαταρκτική* *externe movens* est hominum lapsorum miseria atque indigentia, qua motum benignissimum Numen voluit tenebras ignorantia nostræ Lumine Revelationis Supernaturalis discutere, ac Cælestis Lucis suæ aliquot radios nobiscum communicare, ne æternum periremus. *Media Causa* est Verbum Dei, ex quo de Rebus divinis scimus, quicquid scimus. *Causa Ministerialis* Theologiae sunt Viri Dei, in Vet. Test. Moses, & Prophetæ; in N. Test. Johannes, Christus, ut Propheta atque Interpres Voluntatis divinæ, Evangelistæ, Apostoli ac Doctores Ecclesiæ. *Materia* ex qua sunt Veritates Theologicae ex S. Scriptura petitæ. *Objectum* est vel *Indirectum* v. gr. Lapsus Protoplastorum & reliqua inde orta peccata. Vel *Directum*, quod vel *Adequationis*, Res divinæ s. Divinitus revelatæ, quæ *Religionis* Vocabulo continentur. Nonnulli S. Scripturam *Objectum* Theologiae faciunt; vel *Perfectionis*, & *Contemplationis*, Deus non solū, simpliciter ut Deus est, vel sub ratione Deitatis, quod volunt Thomistæ; sed etiam, ut Deus est & Amator vel Servator homi-

homi-



hominum: Hoc namque præcipuè inculcat Theologia, quæ sint Dei erga homines beneficia & quem cultum, quamque Obedientiam ille vicissim ab hominibus requirat. *Subiectum* Theologiæ est vel *Denominationis* s. *Inbætionis*; vel *Operationis*. *Subiectum Inbætionis* est vel *Quod* vel *Quo*. *Subiectum Quod* est Homo, Habitu Theologiæ præditus, indeque Theologus appellatus. *Subiectum Quo* mediatum est Anima; immediatum est Hominis Theologi Intellectus. *Subiectum Operationis* (ita dictum, quod Theologia circa illud operetur i. e. versetur, ut illud æternum beatum reddat) est Homo lapsus, & peccator, Cognitione divina imbuendus, Deo subjiciendus, Divinæ Voluntati conformandus atque sic & non aliter ad salutem æternam perducendus. *Forma* in Definitione expressa est; sc. quod sit Habitus Theoretico-Præcticus ex Scriptura haustus, ad hominum æternam salutem per media à Deo præscripta obtinendam ordinatus. *Finis* est vel *ultimus*, Dei Gloria. Nam eo consilio Deus sapientiam suam nobiscum communicat, ut à Nobis agnitus celebretur. Vel *subordinatus*, Hominum æterna Salus.

## §. XI.

Principium Theologiæ vulgo duplex faciunt:  
 1. *essendi* à quo Theologia esse suum habet, s. à quo in essendo dependet; estque Deus & res divinæ: Deus enim non solum Efficiens, & Objectum est Theologiæ, sed à Deo etiam Finis & Media Theologiæ ordinata sunt. 2. *Principium Cognoscendi*, quod est, à quo Theologia in cognoscendo dependet; s.

D

quod



quod dat cognitionem Theologiæ; hujusque Correlatum non est Res ipsa, ut in Principio essendi; sed Cognitio Rei. *Principium hoc Cognoscendi non est 1. Ratio Humana.* Licet enim hæc sit facultas illa atque Instrumentum illud, à Deo nobis clementer concessum, cujus beneficio intelligimus, apprehendimus, componimus, dividimus, unum ex alio colligimus & concludimus, verum à falso discernimus, quin Religionis & Theologiæ capaces sumus, unde Scriptura nos etiam ad usum Rationis nostræ hortatur Ps. 32, 9. Matth. 10, 16. 1. Cor. 10, 15. 1. Thess. 5, 21. 1. Joh. 4, 1. Matth. 13, 19. 23. c. 15, 10. Marc. 7, 14. 18. Marc. 18, 17. 18. Rom. 12, 1. 2. 1. Tim. 1, 7. 2. Tim. 2, 7. 1. Cor. 14, 20. Tit. 1, 9. 10. &c. Principium tamen Cognoscendi Theologiæ nullo modo esse potest. (1) quia Mysteria dantur in Theologia, Matth. 13, 11. Rom. 16, 25. 1. Tim. 3, 16. Eph. 5. 32. 1. Cor. 14, 1. c. 14, 2. c. 15, 5. Col. 1, 26. 2. Thess. 2, 7. quæ Ratio nostra non solum excogitare non potuit, sed revelata quoque comprehendere non potest. Licet enim regeniti Mysteria Christiana, ratione τῆ ὀνι *Quod sint*, ex Revelatione divina percipiant & credant, ratione tamen τῆ διόη & καθόη *Quid, Quomodo & Quare sint*, non perfectè capiunt. (2) quia Ratio hominum irregenitorum in rebus supernaturalibus cæcutit, Joh. 1, 5. 9. 1. Cor. 1, 23. c. 2, 25. Eph. 5, 8. quibus adde Rom. 1, 21. 22. 23. Eph. 4, 17. 18. Unde ipse Aristoteles, in Metaphys. agnovit, Intellectum nostrum ad res sublimes non secus se habere, quam oculus noctuæ ad Solis Lumen. Ac tametsi Lumen Revelationis nativam istam caliginem diffi-

pet



pet; omnem tamen Imperfectionem ac Difficultatem non tollit. (3) quia Ratio rebus Theologicis neque prior, neque notior, neque certior est, quod tamen requireretur, si Theologiae Principium Cognoscendi esse deberet; E contrario omnis Fidei cognitio, quam Ratio habet, ex Scriptura est, Matth. 16, 17. Joh. 1, 8. Eph. 1, 16. 17. 18. Ratio ergo Principium Theologiae non est. (4) Principium Cognoscendi oportet esse infallibile; quippe ex quo omnia educuntur, colliguntur & demonstrantur, atque in quod omnia resolvuntur; Atqui ejusmodi Principium infallibile non est Ratio; ac proinde etiam Theologiae Principium esse nequit. Nam fideles non ita Fidem resolvunt: Quia nos ita capimus, intelligimus, judicamus, ideò hoc vel illud de fide est; sed ita potius: Quia Deus in Verbo suo ita loquitur, ideò nobis ita judicandum atque ita credendum est. 2. Tim. 3, 14. 15. 16. 1. Thess. 2, 13. (5) Nunquam Prophetæ, Christy & Apostoli Auditores suos ad Rationis judicium, tanquam Principium Theologiae, remiserunt, sed potius ad Verbum Dei scriptum. (6) quia gravissimè errarunt, qui in rebus Fidei Rationis judicium secuti sunt: quales fuerunt Nicodemus Joh. 3, 4. 9. Petrus Matth. 16, 22. 23. Sadducæi Matth. 22, 22. Thomas Joh. 20, 25. Dux ille incredulus 2. Reg. 7, 2. Vid. Gisbert. Voet Dispp. Sel. Part. 1. Disp. 1. p. m. 3. 4. 5. II. Pontifex Rom. non potest esse Principium Theologiae. Hoc enim oportet esse infallibile. Pontifex vero non est talis Nam. (1) infallibilitas ei nullibi in Scriptura promissa est. (2) Petrus ipse aliquoties erravit Matth. 16, 22. c. 26, 70.

D 2

scqq.



seqq. Gal. 2, 11. seqq. (3) nec, si poneretur post Confirmationem suam infallibilis fuisse, ejus Privilegium personale hæreditarium fuisset. (4) Papa, æq; ut alii Theol. ad Regulam Legis & Evangelii adstrictus est. (5) Nec nos unquam ad Papam ablegamur, nec definitiones ac Decreta ejus audire vel suscipere jubemur. (6) Papæ infallibilitas in Veteri Ecclesiâ agnita non fuit, alias Ecclesiæ Asiaticæ Victoris Episcopi Rom. in Controversia de die Paschatis, sententiam statim sine contradictione recepissent, & Cyprianus cum Episcopis Africanis, in Controversia de rebaptizandis Hæreticis, Stephani Episcopi Rom. judicio se statim remisisset. (7) Pontifices sunt erroribus obnoxii & sæpenumero gravissime errarunt. Marcellinus, metu mortis, Idolis sacrificavit, Liberius formulæ Arianæ subscripsit, ut testatur Athan. in Epist. ad Solitar. & Hieron. in Catal. Scriptor. Eccles. Felix item secundus, teste Hieronymo, Arianus fuit, & ea propter à Constantio Imp. Ariano Episcopus Romanus factus est. Cœlestinus fuit Nestorianus, Vigilius Eutychianus, Honorius I. Monothelita, Gregorius VII. alias Hildebrandus, necromanticus fuisse putatur & Berengarianus. Innocentius I. Eucharistiam infantibus necessariam statuit, quam Sententiam tamen, Concilium Trid. Sess. 21. Can. 5. ceu Hæreticam damnat. Johannes XXII. publice definivit & ab omnibus teneri voluit, quod animæ purgatae ante finale judicium non perveniant ad claram Visionem Dei, Universitatemq; Parisiensem eo induxisse refertur, ut nemo in ea Gradum in Theologia consequeretur, nisi prius jurasset, se hanc Sententiam defensorum

fenfurum



fenfurum, eiq; constanter adhæsulum. Nicolaus III & Johannes XXII in causa Minoritarum sibi contradixerunt, circa Quæstionem: An Christus & Apostoli aliquid proprii habuerint. Coelestinus III. docuit, conjugium per Hæresin solvi, ita ut liceat innocenti aliud Matrimonium inire. Sixtus V. Vulgatam Versionem, à se emendatam, publica Bullâ ut puram & in posterum in Disputationibus & Concionibus adhibendam toti Orbi commendavit, cujus tamen Bullam Clemens VIII. aliâ Bullâ abolevit & a se emendatam, suâque auctoritate prodeuntem, usurpari voluit. Unde Jamesii *Bellum Papale*. [8] Hinc ex ipsis Pontificiis multi Pontificis infallibilitatem negant: ut Gerson & Almain in libris de potestate Ecclesiæ: nec non Alphonsus de Castro Lib. 1. Cap. 2. contra hæreses; & Adrianus VI. Papa, in quæstione: de Confirmatione; Item Sorbona in Gallia. De qua Sententia Bellarminus, T. 1. Lib. 4. de Pontif. Cap. 2. ait, eam non esse propriè hæreticam, *nam, inquit, adhuc videmus ab Ecclesia tolerari, qui illam sententiam sequuntur.* Vide Maimbourgii *Traité Historique de l' Etablissement & des Prerogatives de l' Eglise de Rome & de ses Evêques.* it. Valentini Alberti *Interesse Relig. Protheor.* §. II. 16. p. m. 47. 52. seqq. III. Nec Concilia Theologiæ Principium Cognoscendi esse possunt, quia non sunt infallibilia, imò multa actu ipso errarunt, v. g. Ariminense & Seleuciense sub Constantio Imp. quæ Arianorum formulam admitterunt; Ephesinum II. *λησεϊκόν* sub Theodosio II. in quo Eutychnianismus & alia erronea approbata



sunt; Nicænum II. quod Imagines erexit, cui Constantinop. & Francofurtense contradixerunt: Constantiense quod usum Calicis Laicis interdixit: item Concilium Basileense Oecumenicum & cui Pontificis Romani Legatus interfuit, approbatum ab Eugenio IV. Papa Sess. 16. Sess. 2. definivit, Concilium esse supra Papam, quod, fatente Bellarmino, judicatur erroneum. Unde Concilium Lateranense Sess. 2. contrarium statuit. IV. Nec Patres Theologiæ Principium constituere possunt: non enim omnes scripserunt, nec eorum qui scripserunt, omnia ad nos pervenerunt, & eorum, quæ habemus, quædam, vel injuriâ temporum vel maliâ hominum, Corrupta sunt, nec Patres ab erroribus omnibus immunes fuerunt, quod viri in Scriptis illorum versati demonstrarunt & quod multis exemplis ostendi posset. Sed V. Principium cognoscendi Dogmaticum est Sacra Scriptura, quippe, quæ sola ab omni errore immunis est. Unde Principium Cognoscendi primum Dogmaticum, è quo omnia educuntur, & in quod omnia resolvuntur, est hæc Propositio: *Quicquid Sacra Scriptura docet, illud infallibiliter verum est.* Quod probamus (1.) ex Scriptura. Hæc enim nos non aliò quam ad Verbum Dei remittit. Deut. 4, 2. Jos. 23, 6. Jes. 1, 20. c. 8, 19. 20. Luc. 10, 29. c. 24, 25. 27. Act. 1, 26. 27. 27. c. 17, 2. 3. 11. c. 24, 14. 15. Rom. 3, 17. 18. 19. (2.) ex Principiorum requisitis. Requisita hæc sunt secundum Aristot. l. 1. Poster. c. 2. & l. 1. Top. c. 1. n. 6 ut Principia sint *prima immediata, vera, infallibilia, certa, inambitata, per se*

se



se fide digna, præcognita, ante concessa, & extra controversiam posita, indemonstrabilia &c. Hæc verò Requisita Sacræ Scripturæ soli ex affe conveniunt: Unde conficitur, hanc quoque esse Principium Cognoscendi Theologiæ, ex quo omnes Conclusions Theologicæ deducuntur, & in quod omnes resolvuntur.

## §. XII.

Dividitur Theologia Supernaturalis revelata in Catecheticam & Acroamaticam. Quæ divisio petita est ex Heb. 5. 12. 14. *Cum deberetis Magistri esse propter tempus: Rursum indigetis ut doceamini quæ sint elementa exordii Sermonum Dei & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Perfektorum autem est solidus cibus; eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.* & 1. Cor. 3, 2. *Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.* Catechetica dicitur à *κατά* & *ήχη* sonus: unde *κατηχία* resono, vel h. l. viva & sonanti voce instituo, & Catechista vel Catecheta, Instituens: Catechumenus, qui instituitur; Catechesis & Catechismus, ipsa institutio. Dicitur etiam Exoterica, ad imitationem Aristotelicæ Philosophiæ, qua *ἐξωτερικά* dicebantur, quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum, civiliumque rerum notitiam conducebant; docente A. Gellio Noct. Attic. lib. 20. c. 5. Lucianus item, Dialogo, qui *βίον πράσις* inscribitur, dividit Aristotelis Scripta in *ἐξωτερικά* καὶ *ἐσωτερικά* ἢ *ἀχροαματικά*. Quod confirmat Clemens lib. 5. Strom.



R. m. 575. λέγουσι καὶ οἱ Ἀριστοτέλης, τὰ μὲν ἐσωτερικὰ εἶναι τῶν συγγραμμάτων αὐτῶν. Τὰ δὲ κοινὰ ἴσθαι καὶ ἐξωτερικὰ ἰ. e. *Aristotelei quoque dicunt, ex suis Scriptis alia quidem esse ἐσωτερικὰ ἰ. e. interna, alia verò communia & ἐξωτερικὰ ἠ. e. Externa.* Idem scribit: Διαλογικὰ δὲ ὅσα μὴ ἐξ οἰκείης προσώπου συνέγραψεν ἀλλ' ὡσπερ ὁ Πλάτων ὑποκεινόμενος ἑτέρων προσώπων, ἅπερ καὶ ἐξωτερικὰ ἐκάλεσεν, διὰ τὴν τῶν πολλῶν γεγραφεῖσθαι ὠφέλειαν ἰ. e. *Dialogo perscripta esse, ubi non ex propria scribat persona; sed ut Plato alias inducat personas, quæ ἔσθ' Exoterica, quasi Externa dicantur, quia ad vulgarium etiam hominum utilitatem scribantur.* Est igitur *Theologia Catechetica*, compendiaria ac popularis rudiorum in præcipuis Christianæ Religionis capitibus institutio, viva voce facta. Huic contradistinguitur *Theologia Acroamatica*, ab ἀκροάομαι, *audio*, quæ itidem ad imitationem Philosophiæ Aristotelicæ sic dicitur; Nam secundum A. Gellium l. 20. c. 5. apud Aristotelem, ἀκροαματικά vocabantur, in quibus Philosophia remotior subtiliorque agitabatur, quæque ad Naturæ contemplationes disceptationesve Dialecticas pertinebant: Hæcque, juxta Ammonium in Categ. Aristotelis, ἀκροατικά ἀpellabantur, διὰ τὸ πρὸς τῆς γνησίης ἀκροατῆς ποιῆσαι τὸν λόγον; *quia sermonem haberet cum genuinis ac propriis discipulis; moneique ea fuisse αὐτοπροσώπων, quippe, ἐν οἷς ἐξ οἰκείης προσώπων τὴν διδασκαλίαν ἐποιεῖτο.* Τὰ δοκῶντα δὲ αὐτῷ λέγει, καὶ δι' ἐπιχειρημάτων ἀκριβεστάτων, καὶ οἷς ἔχ' οἷοι τε εἰσὶν οἱ πολλοὶ παρακολυθῆσαι. ἰ. e. *In quibus ex propria doceat persona, eaque dicat, quæ sibi ipsi visa sint, ac*

*probes*



probet omnia exquisitis argumentis, & quæ homines vulgares assequi non possint. Plutarchus, in Alexandro, ait, fuisse hæc τῶν ἀπορρήτων καὶ βαρυτέρων διδασκαλίαν ex interioribus & gravioribus disciplinis, additque, vocari ab Aristotelicis Ἀκροαματικὰς καὶ ἐποπτικὰς, translatione à Sacris Eleusiniis sumptâ, in quibus primo quadriennio instituebantur ac dicebantur μύσαι, qui ante sacrarium tantum in vestibulo consistebant; & quinto demum anno in interius sacrarium admittebantur, ubi licebat Sacra illa clausa conspiceri: Unde ἐπόπται appellabantur. Hinc ergo ea Philosophiæ arcana, quæ discipulis suis pandebat Aristoteles, ἐποπτικὰ vocabantur. Exoterica vesperi; unde περίπατος δειλινῆ, Acroamatica autem mane, ambulando docebat, unde περίπατος ἑωθινός dicebatur. Vid. Voss. de Philosophor. Sectis c. 17. §. 9. & A. Gellium Noct. Att. 1. 20. c. 5. qui etiam refert, Alexandrum M. ægrè tulisse, quod Aristoteles Acroamatica sua in vulgus edidisset, & Aristotelis Responsorias producit. Est itaque Theologia Acroamatica plenior & accuratior confirmatorum s. provectorum, eorumque qui alios in posterum in Ecclesiis vel Scholis docere debent, in Doctrina Christiana Institutio, quæ non solum Thesin orthodoxam, sed & Antithesin heterodoxam tradit, ostenditque modum, illam propugnandi, hanc oppugnandi. Differt Theologia Acroamatica à Catechetica non in re, quæ utrobique eadem est, sed ratione Subjectorum, quæ in Catechetica sunt rudiores, Tyrones, Catechumeni, Neophyti; in Acroamatica autem, Confirmati, provectores, Propheta-

E

pheta-



phetarum Filii, futuri aliorum Doctores; & *rati ne modi considerandi*, qui pendet à Captu Subjectorum, Initiatorum vel Confirmatorum.

## §. XIII.

Cœpit hæc Acroamatica docendi ratio seculo VIII. post Christum natum, primusq; ejus Auctor fuisse videtur *Job. Damascenus*, qui librum conscripsit de Fide orthodoxa, in quo Capita Theologiæ Systematicè & accuratè tradit. Hunc seculo XI. A. 1070. in Ecclesia Latina secutus est *Lanfrancus Cantuariensis* Episcopus, Berengarii maximus adversarius, quem deinde excepit *Petrus Abailardus*. Seculo XII. A. 1149. floruit *Petrus Lombardus*, Episcopus Paris. Scholasticæ Theologiæ Parens, qui Theologiam hucusq; apud Latinos indigestam ad certam Methodum redegit & ad certa Capita revocavit, libris Sententiarum IV, in quibus non solum Sacræ Scripturæ, sed & Patrum, præsertim Augustini, dicta sedulò collegit, indeque Corpus quoddam Theologiæ confecit; Unde vulgo Magister Sententiarum dicitur. Quamvis non defuerint, qui eum accusarunt, quod Pet. Abailardi vel Bandini (alias obscuri & ignoti) libros 4. Sententiarum Theologicar. (qui operâ Bened. Chelidonii Viennæ A. 1519. prodierunt,) compilaverit. Lombardum hunc tam immodice laudavit Franc. Stancarus, ut, libro de Trinitate, scribere non dubitârit, se unum Lombardum pluris facere, quam centum Lutheros, ducentos Melanchthones, 300. Bullingeros, 400. Petros Martyres, 500. Calvinos, ex quibus, si in mortario coartundantur, ne una quidem uncia veræ Theologiæ

giæ



giz exprimi possit. Ab isto tempore Theologia Scholastica in Academiis regnare cepit. Seculo XIII. præter *Wilb. de Seligniate* qui A. circiter 1206. Episcopus Antisthodorensis fuit, & Summam Theologicam scripsit; floruit A. 1245. *Alexander de Hales*, *Doctor Irrefragabilis* vocatus, Thomæ Aquinatis Præceptor. A. 1215. Alanus de Insulis, *Doctor Universalis* dictus. *Albertus Magnus* Monachus ordinis Prædicatorum, inde Episcopus Ratisbonensis A. 1269. qui literarum amore Episcopatu se abdicavit & Coloniam Agrippinam Docendi causa rediit, propter Scientiarum magnitudinem Magni cognomen, quod nulli Eruditorum contigerat, ante mortem adeptus, habuit multos Discipulos, quorum Eminentissimus fuit *Thomas Aquinas*, Dominicanus, *Doctor Angelicus* dictus, Thomistarum familiæ parens, tanto in pretio habitus, ut centesimo, à natali suo, anno 1223. canonizatus sit; quin scripta ejus miraculo confirmata jactent. Nam cum Neapoli aliquando ad Crucifixi imaginem ardentius oraret, scribunt ipsum hæc audivisse vocem: *Bene scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies?* Cui ille: *Non aliam nisi te ipsum.* Breviar. Roman. in Fest. die 7. Martii. p. m. 791. ubi & hæc narratur: Ab Urbano IV. Romam vocatus adduci non potuit, ut honores acciperet; Archiepiscopatum Neapolitanum; etiam, deferente Clemente IV. recusavit. Missus à Gregorio X. ad Concilium Lugdunense in monasterio fossæ novæ in morbum incidit, ubi obiit quinquagenarius A. 1274. Eodem tempore *Job. Bonaventura*, Ordinis Fratrum Minorum, dictus,



*Doct̃or Seraphicus*, Discipulus fuit Johannis de Ha-  
les, sub quo ad eam doctrinæ perfectionem perve-  
nit, ut septimo post anno libros Sententiarum Pari-  
siis publicè summa cum laude sit interpretatus; quos  
etiam præclaris postea Commentariis illustravit. Pa-  
pa Gregorius X. eum Cardinalem & Episcopum Al-  
banensem A. 1274. creavit. Thomas Aquinas ad-  
huc viventem, Sanctum appellavit: Cum enim Vi-  
tam Francisci scribentem comperisset: Sinamus,  
inquit, Sanctum pro sancto laborare. Xystus IV.  
eum postea in Sanctorum numerum retulit 1482.  
Vid. Breviar. Rom. ad mensem Jul. p. m. 903. 904.  
Floruit eodem Seculo *Wilb. Durantes*, Mimatensis  
Episcopus, *Speculator*, appellatus, mortuus 1296. ut  
*Henricus Gandavensis*, *Doct̃or Solennis* dictus, defun-  
ctus 1293. *Richardus de Media-Villa*, *Doct̃or Solidus*  
& *auctoratus*, vocatus, qui seculo exeunte obiit.  
Seculo IV. maximè floruit *Johannes Duns*  
*Scotus*, *Ordinis Minorum*, *Doct̃or Subtilis*  
appellatus, novæ Scotistarum Sectæ Conditor,  
Vir acutissimo ingenio; sed vitæ exitu, ut vulgo  
perhibent, infelix, quippe Apoplexiâ vel lethargo  
correptus, festinatoque funere elatus, cum redeun-  
te vitâ serò morbi impetum natura discuteret, fru-  
stra miserabili mugitu opem petens & diu Sepul-  
chri lapidem pulsans, tandem in ipso sepulchro fes-  
sam animam elisit; ut loquitur Lansius in Orat. pro  
Britann. p. 471. Unde hoc illi Epitaphium positum  
est: referente Phil. Labbe in Thesauro Epitaph.

Quod nulli ante hominum accidit, Viator,  
Hic Scotus jaceo semel sepultus,

Et



Et bis mortuus; omnibus Sophistis

Argutus magis atque captiosus.

Seculo eodem vixerunt *Franc. Mayronius*, Doctor illuminatus; *Wilb. Occam* Anglus, Doctor singularis, & *Venerabilis inceptor*, nuncupatus, qui Ludov. Bavaram Imp. compellasse fertur: *Tu me gladio defende à Papa injuriis & ego te verbis ac scriptis defendam.* it. *Durandus* à *S. Portiano*, Meldensis Episc. Doctor resolutissimus. *Nicol. de Lyra*, Doctor Planus & utilis. *Pet. Aureolus* Doctor facundus. *Job. Bassolis* Doctor ordinatissimus. *Job. Baconus*, Anglus, Doctor resolutus. *Rob. Holkot*, Anglus. *Tho. Bradwardinus* Anglus, Doctor Profundus. *Petrus de Alliaco* Gallus, Doctor Paris. Episcopus Cameraensis, nuncupatus *Aquila Francia & malleus errantium indefessus.* Seculo seq. claruerunt *Tho. Waldensis*, *Joh. Capreolus*, *Reginaldus Pavo*, &c. &c. Ultima istius Theologiæ ætas habuit *Joh. Gersonem* Cancellarium Paris. *Gregorium Ariminensem*, *Gabr. Biel*. *Thom. Cajetanum*, aliosq; Omnibus his non immerito applicari posset, quod *Claud. Verder*, in Cens. Auctor. in Scotum dixit ex *Eccles. 7, 30.* *Fecit Deus hominem rectum, sed ipse se infinitis miscuit Quæstionibus!* Inutilium ejusmodi Quæstionum Catalogum texuit & proposuit *Erasmus* Annot. in *I. Tim.* l. p. m. 690. & in *Encom. Moria.* Vid. *Gisb. Voet.* *Dispp. sel. Joh. Henr. Heidegger.* *Dispp. sel. Tom. I. Dissert. I. D. Bened. Pictet.* in Præfat. ad *Theol. Christ.* Nec tamen propter inutiles Quæstiones solum culpantur, sed & 2. propter perpetuas rixas & sententiarum divortia.

E 3

Ter-



3. Terminorum obscurorum multitudinem 4. Fontium Heb. & Græcorum neglectum. 4. Mixturam Rationis cum Revelatione & Philosophiæ cum Theologia. 5. Nimium & ferè cæcum Amorem Aristotelis, quem non solum omnibus reliquis Philosophis Veteribus ac Patribus, sed ipsi quandoque Scripturæ prætulerunt. Unde Verulam. lib. 1. de Augm. Scient. p. m. 17. de illis judicat, *mentes eorum conclusas fuisse in paucorum Auctorum, præcipuè Aristotelis, Dictatoris sui, Scriptis, non minus, quam corpora ipsorum in canobiorum cellis.* Cum tamen Aristotelis veram mentem vix assecuti sint omnes in omnibus, tam propter imperitiam linguæ Græcæ, quam propter affectatam & voluntariam Aristotelis, in Scriptis suis Acroamaticis, obscuritatem, (de qua ipse Aristoteles in Epistola ad Alexandrum M. ap. A. Gell. Noct. Att. 1. 20. c. 5. testatur. item propter librorum Aristotelis calamitatem, quam passi fuerunt in caverna quadam, sub terra, ob Attalicorum Regum inquisitionem, occultati, ubi partim à blattis, partim humiditate corrupti fuerunt; ac restituti non nisi mutili, & errorum pleni ad nos pervenerunt. Ne dicam, quod propter defectum Inventionis Tuborum opticorum & Pixidis nauticæ, ejus tempore, ne quidem in rebus naturalibus, nedum, propter defectum Revelationis supernaturalis, in Supernaturalibus regula esse potuerit. Inde non modo à Reformatoribus, Luthero, Melancthone, Bullingero, & qui iis proximi fuerunt, Ursino, Sadeele, Danæo sed & Laur. Valla, Pico Mirando, Iano Nizolio, Erasmo, Lud. Vive reprehensi leguntur.

Caven-



Cavendum hic tamen ne modus excedatur, prætextu Theologiæ Scholasticorum, Theologia Acroamatica prorsus repudietur; vel etiam Sophistica, & Confusio Philosophiæ cum Theologia non tam tollatur quam mutetur.

## §. XIV.

Theologia Acroamatica ratione Modi tractandi dividitur in *Positivam*, s. *Didacticam*, *Exegeticam*, *Elencticam*, *Homileticam*, *Casualem* & *Historicam*. *Positiva* s. *Didactica* quæ & *Systematica* audit, est, quæ Capita Religionis Christianæ justo ordine proponit, definit, dividit, & ex locis Classicis Sacræ Scripturæ probat & confirmat. Plenior hæc est *Catechetica*, quæ apud rudiores locum habet; atque non in Ecclesia ut *Catechetica*, sed in Academiis aliisque Scholis tradi solet. *Exegetica*, aliàs *Biblica* & *Prophetica*, Scripturam vel universam vel ejus partem explicat, ejus verum sensum exponit & *Commentariis* illustrat. *Elenctica*, ab ἐλέγχειν, *arguere*, *redarguere*, *convincere* ita dicta, est quæ *Errores* & *hæreses* ex verbo Dei ostendit, *Statum Controversiæ* legitimè format, juxta *leges Methodi* digerit & *refellit*, ac *veritatem fidei Christianæ* contra *exceptiones* propugnat, & *propagat*. Vocatur & *Polemica*, quia πολέμῃ i. e. contra *hostes veritatis* armis spiritus bellum gerit. *Homiletica* s. *Ecclesiastica* & *Concionatoria* futuros Ecclesiæ *Ministros* instituit, iisque *concionandi methodum*, ac *modum recte secandi textus Sacræ Scripturæ* tradit ad *fideliū informationem* & *salutem*. Venerandus D. D. Sam. Strimesius in sua *Critica Concionato-*

onato-



onatoria definit: *Est habitus theoretico-Practicus qui, versatur circa magis necessaria ad salutem i. e. Theologia Catechetica comprehensa, partim Theoretica partim Practica, juxta Textus Sac. Scriptura, Rhetorice Laicis inculcanda. Casualis s. Casuum Theologia est, quæ Casus Conscientiæ dubios proponit atque ex Sac. Scriptura resolvit & decidit. Historica Ecclesiæ doctrinam & fata juxta varias Ecclesiæ periodos s. ætates enarrat, modum Propagationis veræ Doctrinæ tradit & quomodo eadem ab heterodoxis & hostibus impugnata, ab orthodoxis asserta & voce ac Scriptis propugnata sit, recenset, ut de veræ Ecclesiæ Successione & Doctrinæ cœlestis in ea Conservatione constet.*

## §. XV.

Ad Theologiam acquirendam maximè necessaria est I. *Oratio.* Ut Deus Auctor est Theologiæ: ita homo quoque hinc nihil sibi sumere potest, nisi cœlitus ei detur Joh. 3, 27. Caro & sanguis Cœlestia hæc non revelant, sed Pater cœlestis Matth. 16, 17. Luc. 24, 36. c. 21, 15. Inde jubemur Sapientiam hanc postulare à Deo Jac. 1, 5. Apoc. 3, 18. Quibus monitis parent Sancti: David Ps. 119, 18. Salomon Sap. 9, 10. Paulus pro Ephesiis Eph. 1, 16. seqq. Quicumque hoc observaverit, verum deprehendet illud B. Lutheri: Bene oravisse est penè studuisse. item: *Tria faciunt Theologum: Precatio, Meditatio & Tentatio!* II. requiritur *Vera & sincera Pietas:* Cœlestis enim Sapientia non descendit in Animam Peccatis deditam Sap. 1, 4. III. *Cognitio Linguarum Originalium s. Scripturæ, Hebrææ & Græcæ.* Quas  
qui



qui negligunt, cum Deo per Interpretem agere; alienis oculis videre, & in alieno cerebro habitare coguntur; non ab similes plebi in atrio stanti & è longinquo sacra adspicienti; cum è contrario Linguarum Orig. periti similes sint Sacerdotibus in ipsa penetralia admittis, omnium, quæ intus aguntur, arbitris ac testibus. Sane Themistoclis exemplum futuros Dei ad populum legatos sapere doceat: Is enim apud Persas exul & colloquium Regis expetens ut Regis mentem rite perciperet, integrum annum prius linguæ addiscendæ impendit. Item Mercatorum exemplum: qui ut eo certius commodum & lucrum suum promoveant, nulli labori parant, ut varias linguas discant. Quid ni ergo hoc faciendum erit in re majoris momenti? IV. Cognitio Philosophiæ; quippe quæ ad Theologiæ Studium haut exiguum adfert emolumentum, partim ad Veritatem melius investigandam ac docendam, partim ad eandem contra Heterodoxos defendendam ac propugnandam. Sane absque omni Philosophiæ cognitione Theologus nec *διδακτικός* nec *ἐλεγχτικός* erit, qualem tamen Apostolus 1. Tim. 3, 2. Tit. 1, 9. requirit. Occurrunt quoque in Theologia Propositiones vel Puræ, quæ Terminis solius Scripturæ & Theologiæ constant, vel Mixtæ, quæ uno Theologico, altero Philosophico Termino connectuntur; quorum saltem hæc sine adminiculo Philosophiæ solidè nec intelligi nec explicari & probari possunt. Ad loca in contrarium adferri solita Rom. 1, 21. Col. 2, 8. distinguendum est inter Philosophiam Veram & falsam; Abstractam & Concretam; Ejus Usus

F

&amp;



& Abusum; Contradictionem veram & Apparentem. Quibus observatis apparebit Philosophiam Theologiam non contrariari, cum Lumen Lumini, Verum Vero contrarium esse non possit.

## §. XVI.

Affectiones Theologiae sunt I. *Necessitas*, ut pote sine qua Salus obtineri nequit. II. *Sanctitas*, quae illi competit, ratione *Cause Efficientis*, Dei; *Objecti*, Scripturae S. *Subjecti*, quod Sanctum exigit. 2. Paral. 29, 5. Neh. 12, 30. 1. Tim. 3, 2. seqq. Tit. 1, 7. 8. *Effecti*, Veram enim Sanctitatem docet & Professores suos sanctos reddit Joh. 17, 17. 1. Pet. 1, 16. Jac. 3, 17. ratione item *Modi Tractandi*, Sanctè namque & pure Sacra hæc tractari & tradi debent. III. *Perfectio*. Hæc ei convenit respectu Auctoris, Objecti, Finis atque Effectus. 2. Tim. 3, 16. 17. loquimur autem de Theologia Abstracta, ac Objectivè accepta, non Concreta & in Subjecto spectata: Ut enim vasis pro capacitate illorum plus vel minus liquoris infundi potest vel infunditur: ita & mentibus hominum, pro diversitate Capacitatis & donorum, plus vel minus Sapientiae caelestis tribuitur. Siquidem Omne Receptivum recipit non ad modum imprimentis, sed ad modum Receptivitatis suae. IV. *Excellentia*, quae aestimatur ex Theologiae *Auctore & Objecto*, Deo, qui cetera omnia dignitate, infinito modo superat. Reliquae Scientiae ab illustribus hominibus, Philosophis vel aliis, inventae sunt; Theologia verò Deum sibi vindicat Auctorem, ab eoque ortum habet. Equidem & Scientiae aliae & Artes non sine Numine inventae sunt, & ipsum

sum



sum Rationis lumen à Patre luminum accensum est; Verùm Theologiæ Principia sunt Dei expressa Dicta & Oracula, quæ aliunde non potuerunt manifestari: Unde Theologia quoque reliquas Scientias superat Certitudine; siquidem illæ Ratione humana, errori obnoxia; hæc Veracitate Dei, falli nesciã, nititur. Quod multis Theologiæ Principia & Conclusiones minus certæ videntur, eo non efficitur, ut sint incerta, sed manent certissima: æquè ut Sol manet splendidissimus, tametsi cæci & lippi ejus lucem vel planè non vel obscure tantum cerant. Reliquæ Disciplinæ ac Scientiæ pro Objecto habent vel Ens, vel Corpus in genere, vel Corpus humanum in specie, vel Rempublicam & Facultates hominum; Theologiæ autem *Objectum* est ipse Deus & Res divinæ. Metaphysica quidem etiam, vel Pnevmatica, de Deo agit, sed, quæ de Deo docet, exigua & pauca sunt, si cum iis comparentur, quæ traduntur in Theologia. Hæc enim Dei Essentiam & Attribute multo luculentius, quin multa quoque Mysteria aperit, Philosophiæ prorsus ignota. *Effectus* ratione Theologia non solum totius Universi, sed & Generis humani veram originem pandit, varios hominis Status describit & omnium miseriarum & ærumnarum causam & remedia docet, Fidem in Mediatorem & Sanctitatis studium commendat, & quod rei Caput est, verum hominis Scopum & *Finem* ostendit. Reliquæ Scientiæ & Artes particulare aliquod bonum hominis pro Scopu habent; Medicina hominis Sanitatem, Jurisprudencia & Politica publicam ho-



minum Pacem ac Tranquillitatem; Theologia vero æternam Hominis Felicitatem, ceu Hominis Scopum proponit & Media ad illum perveniendi præscribit. Ex quo Fine Theologiæ Dignitas satis elucet. V. est *Veritas*, quæ apparebit ex

## Cap. II. De Religione.

### §. I.

Religio dicitur Hebr.  $\text{דָּת}$  Lex,  $\text{עֲבוּדָה}$  Servitium vel Cultus, item  $\text{לְעֲבוּדָה}$ . Cultus Dei;  $\text{אֱמוּנָה}$ , quod Fidem significat. Græcè dicitur  $\text{Θρησκεία}$  i. e. cultus,  $\text{λατρεία}$  Cultus,  $\text{λογικὴ λατρεία}$  Rationalis cultus Rom. 12, 1.  $\text{εὐσέβεια}$  Pietas 1. Tim. 4, 8. Latine Religio vel Cultus.

### §. II.

Religionis Vocem Cicero lib. 2. de Nat. Deor. derivat à relegendo, quod Religiosi diligenter relegant, quæ ad Cultum Deorum spectant; Verior tamen Originatio est, quam tradit Lactantius L. IV. Institut. cap. 28. *Hæc conditione gignimur, ut generanti nos Deo, justa & debita obsequia præbeamus: Hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc Vinculo pietatis obstricti, Deo religati sumus, unde ipsa Religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est à relegendo. Item: Diximus nomen religionis à Vinculo pietatis esse deductum: quod hominem Deus sibi religaverit, & pietate constrinxerit, quia servire nos ei, ut Domino, & obsequi, ut Patri necesse est: Me-*  
bitua



lius ergo Lucretius id nomen interpretatus est; qui ait: Religionum se nodos exsolvere. Quam derivationem quoque probat Augustinus L. 10. de Civ. Dei cap. 4. it. L. 1. Retract. c. 13. & Isidorus Lib. 8. Origin. cap. 2. inquit; *Religio appellata, quod per eam uni Deo religamus animas nostras vinculo serviendi.*

## §. III.

Nomen Religionis capitur vel improprie vel proprie. Improprie sumitur (1) pro Religione falsa, e. gr. Gentili, Muhammedana, Judaica. Vid. hic cap. 1, §. 4. p. 5. seqq. (2) pro Statu Monachali, ap. Scriptores Pontificios, qui Ordinis Monastici professionem, Religionem appellant; quos inter Bellarm. L. 2. de Monachis c. 2, Religionem hoc sensu acceptam describit, quod sit *Status hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiae & obedientiae Vota tendentium.* Verum Vocabulum hoc non statum, sed normam status cujusvis, secundum quam Deus religiosè colendus est, ut Act. 26, 5. Vel actum, quo Numen colitur, ut Jac. 1, 27. significat. (3) Pro ἐθελοθρησκεία i. e. arbitrario & electitio cultu, ut Col. 2, 18. ubi cultus Angelorum nominatur & improbatur. *Proprie* denotat verum, Deum colendi, modum.

## §. IV.

Ita accepta Religio est vel Naturalis vel Supernaturalis. *Naturalis* est vel Originalis s. Primigenia, à quibusdam Paradisiaca nuncupata, quæ in Statu Innocentiæ obtinuit, qua homo ad Imaginem Dei conditus Creatorem suum coluit



Vid. hic Cap. I. §. VII. p. 14. vel *Naturalis post Lapsum*, qua esse aliquod Numen ex lumine Naturæ cognoscitur, idque sapienter & potenter omnia in hoc universo moderari agnoscitur & secundum lumen Naturæ colitur. Estque vel *Insita* vel *Acquisita*. *Insita* est confusa agnitio & cultus Numinis ex lumine Naturæ & dictamine Conscientiæ juxta principia notitiarum menti nostræ indita. Cujus Existentiam negant vel in dubium vocant 1. R. Mose ben Majmon 2. Scholastici quidam ut Pet. de Allia-  
co, Henr. Gandav. Thomistæ, qui Aristotelem secuti volunt, Intellectum hominis esse tabulam rasam, adeoque nullam Dei notitiam menti nostræ insculptam esse. Franc. Suarez, Joh. Pureanus &c. 3. Flacius Illyricus, Part. I. Clavis Script. ad Vocem *Lex*, Daniel Hoffmannus. &c. 4. Arminiani. 5. Sociniani, & 6. quidam ex Ref. Clem. Timplerus Metaph. L. 3, c. 1. qu. 9. & l. 4. c. 2. qu. 2. p. 369. seqq. Lud. Croc. Syntag. l. 3. c. 2. p. 412. Rob. Baron. Metaph. Part. Spec. p. m. 49. 50. seqq. Joh. Pearson in Expos. Symb. Apost. Artic. I. p. m. 30. Nos affirmativam probamus (1) Rom. 2, 14 15. Rom. 1, 19. 20. (2.) ex impresso hominum mentibus discrimine honestorum & turpium. (3) ex timore Numinis cujusdam, qui evincit, naturaliter hominum mentibus ejusmodi habitum inscriptum esse. (4) ex malæ Conscientiæ pavoribus & gaudio bonæ conscientiæ. Siquidem secundum Cic. pro Milon. *Magna vis est Conscientiæ in utramque partem ut neque timeant, qui nihil commiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt.* Conf. eund. pro Sext. Rosc. it.



it. in Pison. Sic Alex. M. cum Clytum interemis-  
 set, maximè cruciabatur, cum tamen præter Deum  
 neminem superiorem haberet. Caligula, impius  
 licet, timebat tamen quando tonabat. (5) ex una-  
 nimi omnium Gentium, qui nondum obbrutuerunt,  
 Consensu. Unde enim esset illa ad Religionem  
 propensio? Unde illa pronitas ad idololatriam, ad  
 cultum rerum sæpe vilissimarum, nisi ex sensu quo-  
 dam naturali Numinis cujusdam. *Acquisita* est ag-  
 nitio & Cultus Dei ex contemplatione Mundi per  
 ratiocinationem & discursum comparata. Hanc  
 Socinus etiam negavit, Prælect. Theol. c. 2. p. 3. 4.  
 seqq. desertus tamen à sequacibus Val. Smalc.  
 Refut. Franz. p. 12. Joh. Crellio de Deo & Attrib.  
 Volkelio præfixo c. 5. p. 47. seqq. Nos probamus ex  
 Rom. 1. 19. 20. Ps. 19, 1. seqq. Job. 12, 7. 8. Act. 14,  
 15. 16. 17. c. 17, 24 seqq. *Causa Efficiens*, est Deus,  
 quod ipsi Gentiles agnoverunt, Unde Legis latores  
 Colloquia cum Diis habita finxerunt, Lycurgus cum  
 Apolline, Numa cum Ægeria, Minos cum Jove, Za-  
 molxis cum Vesta, Solon & Draco cum Minerva,  
 Charondas cum Saturno. *Forma* Religionis Na-  
 turalis est exacta convenientia cum lumine Naturæ  
 interno & externo. *Causa Media, Materia, Objectum,*  
*Subjectum, Finis* repeti possunt ex Cap. 1. §. 7. p. 15. 16.  
 Religio Naturalis Acquisita obtineri solet triplici  
 Viâ: *Causalitatis*, qua ex effectu Causam, ex opere  
 Autorem intelligimus, atque à Creatura ad Crea-  
 torem, a rivulis ad fontem, ab Ectypo, imagine  
 & effigie, ad Archetypum manaducimur. *Eminen-*  
*tia*, qua quicquid Perfectionis est in rebus creatis,  
 emi-



eminenter Deo tribuimus; Viâ Negationis, quâ ea, quæ in Creaturis Imperfectionem sapiunt, à Deo, removem⁹. Capita hujus Religionis sunt: Deum esse; esse unum, sapientissimum, Optimum, potentem, justum; esse Creatorem Cæli & Terræ, Remuneratorem bonorum & Vindicem malorum; esse colendum, recte & honestè factis; Quodcunque volumus nobis fieri, idem aliis faciendum; Animas esse immortales &c.

## §. V.

Attributa Religionis Naturalis sunt (I) Necessitas, saltem quoad actum primum, si non quoad actum secundum. (II) Veritas. Quæ Affectio ei competit, in se spectatæ. Unde Paulus Rom. 1, 18. 25. Veritatem vocat. (III) Utilitas. Servire enim debet ad Dei ulteriorem cognitionem & inquisitionem illius cœrus in quo Deus Verus colitur Act. 17, 27. εἰς τὸ ἐπιεῖν τὸν κύριον (IV) Imperfectio & insufficientia ad Salutem. Languida enim est, quæ vix assurgit ad agnitionem Dei, imperfecta quoque est, ratione Cognitionis Legalis, utpote partem tantum assequens Rom. 2, 14. ratione cognitionis Evangelicæ nulla est, quia de illa nihil novit. Quod Dei Cognitionem ipsam spectat, ea duplex est: Altera Generalis & simplex, qua quis scit, esse Deum; altera verò, Applicata ad certum Subjectum, puta Deum Israelis & Patrem Domini nostri Jesu Christi. Generalem illam Notitiam Dei Ethnicis habuerunt, saltem habere potuerunt; posteriorem non item, quia notitias illas de Deo, si non plane neglexerunt, saltem non vero, sed fictitio Numini



Numini tribuerunt. Quemadmodum Oedipus, ut est apud Poëtas, cum se Patrem habere sciret, cum tamen Lajum esse ignorabat: ita Ethnici ex Naturæ libro cognoverunt, esse Deum, nec tamen, quis Deus ille esset, sciverunt, unde & ignotum Deum illis annunciari opus fuit. Scilicet usu illis venit, quod ægrotis quibusdam aut fame fere confectis, qui loco alimentorum & pharmacorum salubrium sæpe illos Cibos illaque Medicamenta avidissime appetunt, non quæ morbo depellendo revera maximè conducunt, sed quæ morbum potius augent. Sic miseri & Revelatione divina destituti mortales, etsi omnes sensu quodam Religionis ducantur, in tanta tamen varietate, eam quisque delegit, quæ moribus patriis, propriæ indoli, vitæ generi, atque, uno verbo, quæ pravitati Naturæ maximè congrua fuit. Inde etiam ad Salutem insufficientis est.

## §. VI.

Sufficientiam Religionis Naturalis ad Salutem multi asseruerunt olim & hodie asserunt (1) Judæi non tantum eos Gentiles, qui septem Præcepta Filiorum Noachi recipiunt & servant, & ante omnia Idololatriam, Maledictionem Nominis Divini, Homicidium, adulterium, Furtum, vitant, Judicia curant, & à Vivo animalis membro abstinere, beatos fore prædicant: de quibus agit R. Mose Ben Maimon in Tract. de Regib. c. 6. n. II. & c. 9. num. 1. & Menasse Ben Israel in Conciliatore Quæst. 2. in Deuteron. p. m. 220. & L. 2. de Resurr. c. 9. p. m. 183. seqq. sed & probos Gentiles promiscue Resurrectionis mortuorum & Vitæ æternæ participes futuros esse, docent, quod Deus nullam Creaturam mercede sua fraudet, quamvis non æquent



Gentilem sibi ipsis, eo quod Propheta evadere nequeat. Vid. Menass. Ben Isr. locis cit. (2) Muhammedani item, omnes honeste & pie viventes, vitam æternam adepturos credunt (3) Pelagiani statuebant, quosdam salvatos esse ante Legem, per Religionem Naturalem; quosdam sub Lege, per Legem; quosdam sub Evangelio per Evangelium (4) Ex Catholicis quoque Patribus *Iustinus* Martyr *Apol. 2.* *Clemens* Alexandr. *Strom. L. 1. & L. 7.* *Origenes* in *Rom. 2.* *Chrysostomus* *Homil. 37. & 38. in Matth.* *Ambrosius* in *Lib. de Bono Mortis c. 2.* *Hieronymus* in *Matth. 22. it. in Gal. 1.* qui de *Seneca* in specie scripsit: *Senecam non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illa Epistola provocarent, Pauli ad Senecam & Seneca ad Paulum.* *Theodoretus* in *Rom. 2.* qui omnes docuerunt, Philosophiam quondam per se justificasse Græcos; Solum Deum nosse, quondam ad Salutem suffecisse. Quin ipse *Augustinus* pro hac Sententia allegatur *Epist. 49. it. de Civ. Dei lib. 18. c. 47. Confess. L. 7. c. 9.* (5) Ex Pontificiis non solum *Erasmus* in *Præf. in 4. Tusc. Quæst. Ciceron.* & in *Colloquio*, cui Titulum fecit: *Convivium Religiosum*, ubi inter alia: *Fortasse se latius fundit Spiritus Christi, quam nos interpretamur, & multi sunt in consortio Sanctorum, qui non sunt apud nos in Catalogo*, Et post aliqua: *Cum bujusmodi quedam lego de talibus Viris, vix mihi tempero, quin dicam: Sancte Socrates ora pro nobis.* In *Præf. ad l. 4. Tusc. Quæst. Cic. ait: Ubi nunc agat anima Ciceronis, fortasse non est humani judicii pronunciare. Me certe non admodum aversum habituri sint in fe-*  
rendis



rendis calculis, qui sperant, illum apud Superos quietam Vitam agere. Lud. Vives Comm. in L. 18. August. de Civ. Dei. c. 74. Franc. Puccius Florentinus, Joh. Bodinus; Sed & Soto, Vega Lib. 6. super Concilium Trid. cap. 17. & 20. Victoria, Ambros. Catharinus, Andradius in Defens. Concil. Trid. L. 3. Maldonatus in Matth. c. XI, 21. adseruerunt: *Si quis faciat conformiter rationi, ea qua facienda dicitur ipsa ratio, cum salutem posse adipisci, etiam de Lege Dei Ordinaria, modo invincibiliter ignoret ea, que nobis sunt credenda; ut loquitur Vega l. c. (6) Remonstrantes Apol. Confess. s. Exam. Censur. cap. 7. Sect. 8. & 9. fol. 91. it. 120. 160. dubitanter tamen. Jac. Arminii Sententia quinque Thesibus comprehensa legitur in Epist. Præstant. & Erudit. Viror. Epist. 71. p. m. 137. 138. Inprimis vero possibilem proborum Gentilium Salutem asserit Steph. Curcellæus Diss. peculiari: De Necessitate Cognitionis Christi Oper. p. 919. seqq. it. Relig. Christ. Instit. lib. 7. c. 6. §. 11. 12. seqq. p. 453. seqq. & Lib. 4. c. XI. Lib. 6. C. 10. p. 385. 386. Arnoldus Poelenburg in Refut. Disp. Inaug. Frid. Spanhem. Controv. 3. p. 323. seqq. (7) Edoardus Baro Herbert de Cherbury & Castri; qui quinque Religionis Naturalis Articulos constituit in lib. de Religione Gentilium; & altero de Veritate; quos non nostri tantum, sed & universi Orbis Cætus pro veris indubitatisque habere debeant. Nempe: (I) *Esse Deum summum*, (II) *Coli debere*, (III) *Virtutem Pietatemque esse præcipuam partem Cultus divini*, (IV) *Dolendum esse ob peccata, ab iisque resipiscendum*, (V) *Dari**



*ex Bonitate Justitiaque divina premium vel penam eum in hac vita sum post hanc Vitam.* lib. de Relig. Gentil. c. 1. p. m. 2. c. 15. p. 251. & 284. Contra quem calamum strinxit Joh. Musæus & Gerh. Titius. Herberto annumerant Thom. Hobbesium. (8) *Latitudinarii* in Anglia, Vide D. Edw. Fowlers Defense of the Latitudinarians. & D. Arthuri Bury Latitudinarium Orthodoxum Cap. 1. p. 3. 4. 7. 8. (9) *Sociniani.* (10) *Weigeliani, Swencfeldiani* Jac. Böhme, Myster. Magn. oder Erklärung über das erste Buch Mos. Cap. 40. §. 73. p. 314. & Cap. 51. §. 7. 8. seqq. p. 414. 415. seqq. Quakeri, quorum sententiam exponit Robert. Barclajus Apologia Theologiae verè Christianæ Thesi 5. & 6. p. 63. 64. ubi ait, *Universalis Meriti Christi vim & beneficium se extendere non solum ad eos, qui distinctam externam Mortis passionisque ejus habent cognitionem, sicut ea in Scripturis declarata est, sed ad illos etiam, qui ab hujus Cognitionis beneficio, casu aliquo inevitabili, necessariò excluduntur; tales enim vult participes fieri beneficii Mysterii mortis ejus, licet Historia ignaros, si sc. obtemperent Semini & Lumini ejus illucenzi cordibus suis, in quo lumine communio habetur cum Patre & Filio, ita ut ex impiis sancti fiant & amatores potentia illius; cujus internis & secretis viribus & contactibus se à malo ad bonum converti sentiunt & doceri, quod sibi fieri nolunt, alteri non facere, in quibus ipse Christus affirmat omnia includi.* Quod deinceps §. 21. seqq. & 25. p. 97. seqq. & III. 112. seqq. fuse probat. Solet (11) & *Zwinglius, & Amyraldus* hic accusari: De quibus breviter tantum obser-

obser-



observamus. 1. Utrumque nihil viribus naturalibus Gentilium in hoc negotio, sed omnia Mortis Christi virtuti tribuere. Ita enim Zwinglius in Rom. 5, 15. *Si Adam suo peccato tantum potuit ut omnes nos peccatores constitueret, cur non potius donum Dei tantum posset, ut per ipsum omnia peccata remitterentur?* Idem alio loco: *Quicquid mali Adam peccando dedit, hoc per gratiam Christi curatum est. item: Justitia Christi generationem (humanam) sic restituit, ut corruptio non noceat, nisi ubi adolevimus, contra legem faciendo, denuò nostrâ culpâ pereamus perfidi. item: Paucis respondere potuissemus, Christum profus sanando tantum profuisse, quantum nocuit Adam peccando. Porro Adam infecit universam conspersionem peccato originali; Ergo Christus universam restituit. &c.* Similia ex Amyraldo adduci possent. 2. Uterque etiam agnoscit, si qui Gentiles salvati sint vel salvari possint, non nisi per Fidem salvatos esse vel salvari posse. Unde Zwinglius, vexato illo loco, in Epist. ad Francisc. I. Regem Galliaë, conceptis verbis inquit: *Videbis Abelem, Henochum, Thesium, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, hic Antecessores tuos, & quotquot in fide hinc migrarunt majores tuos videbis.* Et in Declarat. de Peccato Orig. ad Urbanum Rhegium, cum eos errare dixisset, qui omnes Gentiles damnant, subjicit: *Quid enim scimus quid Fidei quisque in corde suo, Dei manu scriptum habeat?* Unde patet, si quid erroris hic admissum est, eum in Facti quæstione potius errasse, quam in quæstione Juris, quod sibi persuasit, eos quos Deus extraordi-



ordinariâ quadam Sapientiâ, Virtute & Fortitudine donasset, Fide quoque, extraordinariâ & arcana ratione, donatos fuisse. Nec Amyraldum Fidem exclusisse in propatulo est. Præter Gualtherum, Zwinglii ex professo Defensorem, vide Hotting. Histor. Eccles. Sec. 16. Part. 4. c. 5. p. 287. seqq. Christophorus Pelarg. Compend. Theol. revis. loc. 17. Qu. 18. p. 289. seqq. Masson. Anatom. Univ. Part. 3. c. 25. p. 283. seqq. Jac. Capell. in Vindiciis J. Casaub. lib. 1. c. 1. p. 6. Franc. Turrett. Theol. Elencht. Part. 1. Loc. 1. qu. 4. §. 22. p. m. 17. Quorum aliqui observarunt, ipsum B. *Lutherum* Deo Fortuitam quandam Misericordiam, & Vagam Gratiâ erga Gentiles tribuisse & bene de Cicerone ominatum esse. Nostra sententia est, Deum Religionem hanc Naturalem tam Insitam quam Acquisitam, ejusque lumen tam internum quam externum eum in *Finem* hominibus, Revelatione supernaturali destitutis, accendere, (1.) ut sit testimonium Immensæ suæ Bonitatis & Amoris erga, hos quoque, homines peccatores Act. 14, 16. 17. c. 17, 25. (2.) ut Deum Creatorem Universi & suum agnoscant & colant. Ps. 19, 1. 2. seqq. Act 17, 24. 27. Job. 12, 7. 8. 9. Rom. 1. 19. 20. 21. [3.] ut ad Resipiscentiam, non hypocriticam ac superficialem, sed vetam & seriam invitentur & adducantur Act. 14, 14. 15. Rom. 1, 21. c. 2, 4. [4.] ut ad quærendum verum Deum & Ecclesiam, in qua verus hic Deus colitur, adducantur: Act. 17, 27. 28. est enim Religio hæc naturalis (ut ait Turrettinus l. c. §. 4.) *Conditio Subjectiva in homine, ad lumen Gratiæ admittendum, quia Deus non alloquitur Bruta & truncos, sed Crea-*



*entis rationales.* Et quia Gentiles lumine hoc Naturæ & Præveniente Dei Gratia donati, hoc præstare & debent & possunt, nec tamen præstant, sed potius omnia contraria faciunt, inde fit, ut sint inexcusabiles, quod Paulus significantissime docet Rom. 1, 18. 19. 20. 21. seqq. *Revelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent. Quia id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia n. ipsius à Creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, æterna n. ejus potentia & divinitas, ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. &c.* Inexcusabilitas igitur est Eventus ac τὸ ἐπόμενον, non Finis, nisi per accidens. Vide quoque Dn. D. Sam. Strimesii Dyodec. 3. in Frid. Spanh. Elench. Controv. c. Armin. p. 58. 59. Interim Religio Naturalis per se ad salutem sufficiens non est: Nam (1) Credentibus in Christum Salus tantum promittitur Joh. 3, 16. 18. c. 17, 3. 1. Cor. 3, 11. (2) quia Salus est ex fide, fides autem ex Verbo Dei Rom. 10, 17. (3) quia nemo per Legem Mo-  
 sis servatur Gal. 3, 17. Multo minus ergo per Naturæ Legem & Religionem Naturalem, quæ Lege Mo-  
 sis multo est imperfectior (4) quia salutaris Dei agnitio nemini obtingit, nisi revelante filio Mat. 11. 27. Joh. 1, 18. c. 20, 30. 31. Non ergo per Religionem Naturalem. (5) quia Scriptura nullibi, ubi de Religione Naturali agit, v. gr. Ps. 19, 1. 2. Job. 12. 7. 8. 9. Act. 14, 17. c. 17, 24. seqq. Rom. 1. 19. 20. seqq.

seqq.



seqq. hujus finis mentionem facit (6) quia Religio naturalis imperfecta est, nec modum ostendit quo Deus placari ac nobis propitius reddi possit (7) quia Gentiles sine Deo ac sine spe Eph. 2, 12. fuisse dicuntur.

## §. VII.

Necessaria ergo fuit, *Religio Supernaturalis s. Christiana*, quæ est Vera, Deum Verum cognoscendi & colendi, in Verbo Dei patefacta ratio, ut homo peccator à Deo per peccatum avulsus Fide in Christum & Caritate erga Deum & proximum cum Deo rursus uniat & salute æterna potiatur. *Causa efficiens* hujus Religionis est Deus. *πρῶτον μὲν* est gratuita Dei Misericordia. *Ministerialia* sunt Moses, Prophetæ, Evangelistæ & Apostoli. *Norma* est Scriptura Deut. 4, 2. s. 8, 20. Luc. 16, 29. 2. Tim. 3, 16. *Objectum* est Deus Pater, Filius & Sp. s. Deut. 6, 13. Matth. 4, 10. Joh. 17, 3. Matth. 28, 19. 1. Joh. 5, 7. *Materia ex qua* Religio constat, est fides in Christum & Caritas erga Deum & proximum. *Subjectum* est homo peccator à Deo avulsus & ad Deum reducendus. *Forma* est convenientia cum Voluntate Dei in Scriptura revelata. *Finis* est Dei Gloria, & hominum ad Deum reductio s. æterna salus.

## §. IIX.

*Affectiones* Religionis Supernaturalis sunt (I) *Necessitas* (II) *Sanctitas* (III) *Perfectio*. Vid. de his tribus Affectionibus cap. 1. §. 16. p. 42. (IV) *Excellentia ac Sublimitas*. Est enim Origine, Objecto, Normâ, Materiâ, Requisitis Fide & Caritate, Formâ, Fine, Divina. (V) *Veritas*, convenit enim cum Verbo Dei quod est Veritas Joh. 17, ii (VI) *Antiquitas* incepit n. statim post Lapsum (VII) *Unitas* ut n. una est Salus sic una est via ad eandem Joh. 17, 3. Act. 4, 12. c. 10, 43. c. 15, 11. Eph. 4, 5. Rom. 4, 23. 24. Gal. 3, 8. Hebr. 11, 26. Quod notamus contra Pelagianos, qui finxerunt aliam rationem Salutem adipiscendi ante Legem, aliam sub Legge, aliam sub Evangelio Augustin. l. 2. cont. 2. Epist. c. 21. it. contra eos qui volunt Fidem in Christum in V. T. requisitam non fuisse (IIX) *Duratio* perpetua: nam durabit ad finem Mundi, & licet prematur, non tamen opprimetur, licet oppugnetur, non expugnabitur. IX. *Libertas* s. *Spontaneitas*. Cogi n. non debet. X. *Efficacia* in hominibus convertendis, & vera pace efficienda.

## §. IX

Opposita sunt: Atheismus, Falsæ Religiones, de quib. Cap. 1. §. 4. Superstitio, Indifferentismus, Zelotismus &c. Quæ nunc tantum nominamus,

S. D. G.

Coll. Diss. A 181, unse 9